



Specimen historico-litterarium de Severo Alexandro, Romanorum imperatore

<https://hdl.handle.net/1874/288144>

II

20

SPECIMEN HISTORICO-LITTERARIUM
DE
SEVERO ALEXANDRO,
Romanorum imperatore.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IACOBI ANTONII FRUIN,
Jur. Rom. et Hod. Doct. et Prof. Ord.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARIAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

DISCIPLINA PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM
HUMANIORUM HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

IANUS WILHELMUS DE GROOT,

Rheno-Traiectinus.

A. D. XVIII M. NOVEMBRIS A. MDCCCLXV, HORA III.



Traiecti ad Rhenum,
APUD A. I. VAN HUFFEL.
MDCCCLXV.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY


THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY



MATRI CARISSIMAE

PIAEQUE MEMORIAE OPTIMI PATRIS

Sacrum.



PRAEFATIO.

Tribus fere abhinc annis, cum ea nobilissimae facultatis decreto mihi concessum fuit, ut aliquando summos in litteris honores consequerer, nihil mihi magis in votis fuit, quam, ut scripto aliquo meorum studiorum specimine, ipsum Doctoratus gradum adipiscerer.

Ad docendi munus in Athenaeo Mosa-Trajectino vocato nulla non impedimento mihi fuerunt, quominus propositum consilium perficerem, quippe omnibus fere, qui mihi adeundi erant, fontibus destitutus. Mihi igitur eligendum fuit argumentum,

cui perpauci opus essent fontes; quamobrem diu cogitanti et dubitanti clarissimus ROVERS auctor mihi fuit, ut ad Severum Alexandrum, Romanorum imperatorem, animum adverterem.

De ipso argumento pauca sunt, quae hoc loco moneam: Severi Alexandri vitae imaginem antiquitatis tantum monumentis adhibitis exposui et narrationis discrepantia indicata pro viribus illustrare conatus sum, quibus etiam brevem ipsorum fontium, diiudicata eorum historica fide, adieci conspectum.

Varias in hac statione mea, a Musarum sede remota, fuisse difficultates nemo peritus et aequus iudex negabit. Cum vero multum mea interesset ut quam primum legi satisfacerem, edidi, quae potui. Quae ut benevolus lector observet etiam atque etiam rogo.

Hac autem sollenni opportunitate tibi, matri dilectissimae, gratias ago pro beneficiis in me collatis, quorum me semper memorem fore palam testor. Diu te servet incolumem D. O. M.

Vobis quoque Gymnasii Rheno-Trajectini praeceptoribus, viris doctissimis, gratum animum testor.

Tibi praecipue hoc dictum sit, doctissime EKKER, qui non solum mihi auctor fuisti, ut litterarum studiis me totum traderem, verum etiam variis opportunitatibus benevolentiam mihi exhibuisti.

Dum hoc ipsum pietatis officio fungi conor testificando gratum animum omnibus, qui optime de me meruerunt, continuo me dolore corripere sentio, cum virum cum ingenio tum etiam doctrina eximium, KARSTENIUM dico, desiderem. Quam cladem hujus mortis calamitas tam Academiae nostrae quam discipulis ejus attulit, omnes, qui, ut ego, praestantissimi viri virtutem, humanitatem, doctrinam cognoverunt, facile sentient.

„Volitabit, ut ait Ennius, vivus per ora virum.”

Gratissima me quoque movet vestrorum in me meritorum recordatio, viri clarissimi litterarum humaniorum in hac Academia professores, quorum nulla umquam oblivio delebit memoriam.

Ad benevolentiam autem et humanitatem, qua tu, Promotor Aestumatissime, semper me excepisti, velut cumulus accesserunt suavissima et saluberrima consilia, quibus me in hac dissertatione scribenda adjuvisti. Quibus tantis beneficiis me tibi, Clar.

ROVERS, *semper adstrictum esse sentio quidem: sed ut par est significare nequeo.*

Vos commilitones, quos fidos in hac Academia habui, mei memores sitis; oro vos, siquidem me semper amicum vestrum nominastis, ut me eadem amicitia prosequamini. Valeatis.

CONSPECTUS.

Prooemium Pag. 1

CAPUT I.

Severi Alexandri origo, annus natalis, pueritia 5

CAPUT II.

Severus Alexander imperator, usque ad expeditionem Persicam . . 16

CAPUT III.

Expeditio Persica 27


CAPUT IV.

De iis, quae post expeditionem acciderunt. 42

CAPUT V.

Indicium de Severo Alexandro. 53

Animadversiones de Severi Alexandri vitae fontibus et scriptorum
fide historica. 61



PROOEMIUM.

Romanorum imperii conditio ante Severum Alexandrum.

Ultimis liberae reipublicae temporibus luxuries et mollities adeo in dies creverant, ut postea ne optimi quidem imperatores morum corruptelae resistere possent. Quamvis ab altera parte vitae cultus atque humanitas diffunderentur, ab altera eximii iurisconsulti, viri civitatis regendae peritissimi, quin etiam belli artibus exercitati duces et fortissimi milites imperatoribus praesto essent, non potuit non imperium Romanum ad interitum labi.

Quid mirum? Imperii Romani incolae Caesarum aetate apte in tres partes dividi possunt: in cives, milites et servos.

Hi durissimam plerumque sortem subeuntes semper parati erant, qui, melioris fortunae spe ducti, cum invadentibus hostibus se coniungerent.

Militum maximam partem e peregrinis collectorum nihil intererat, quid imperio Romano fieret. Nam sibimet ipsis consulebant et numerorum ope haud reformidabant cuiusvis imperandi studiosi partes sequi.

Denique cives Romani, similes eorum, quos optimis reipublicae temporibus cognovimus, non amplius occurrunt. Erant coetus hominum iuris consensu sociatus, in quibus tamen nihil Romanum supererat quique unice molliori vitae dediti omnes labores tamquam libero homine indignos repellebant. Otium atque divitiae oneri miseriaeque iis factae erant.

Romani illi, qui res dubias atque asperas et gravissima pericula facile toleraverant, nunc omnia peregrinis et transmarinis servis permittebant; quin etiam magnam partem exercitus suos finitimis barbaris complebant.

Non est quod dicam, varia optima melioris aevi instituta sensim paullatimque in desuetudinem abiisse, omniaque pro arbitrio imperatoris eiusque amicorum geri coepta esse.

Imperator ipse aut pertinebat ad effeminatum illud incolarum genus, de quo modo vidimus,

aut erat strenuus miles, quem praetoriani eorumque exemplum imitantes legionarii milites in odio habebant et de medio tollere cupiebant.

Quum igitur imperatorum vita plerumque penderet ex arbitrio militum ipsique saepe orbi decederent, militum auctoritas et petulantia in dies crescebant, quippe qui mortuo imperatori alium in primisque eum, qui plurimum ipsorum commodis inserviret, sufficerent.

Impensae publicae admodum erant auctae et sumptibus aulae et stipendio ingentis militum numeri et immodicis donis, quibus praetoriani milites ornabantur. Imperator igitur, qui, ut insatiabili militum avaritiae satis faceret suas impenderat opes, amissam pecuniam tributis populo impositis reficere conabatur.

Neque omittendum est, legiones, quae plerumque uno eodemque loco degebant, aliquam tamquam militarem rempublicam formasse neque coërceri potuisse nisi saepissime earum praefecti commutarentur.

Disciplina militaris prorsus erat nulla; milites enim unice praedae et pecuniae spe allecti nullo neque honoris sensu neque patriae amore se commendabant. Extra imperii Romani fines ipsos eorumque duces summo iure praedones appellaveris.

Accedebat quod nemo non legionum praefe-

ctus spem fovebat vita defuncto imperatori succedendi. Erat imperatoria dignitas tamquam discordiae pomum, quod fortissimus quisque sibi arrogabat, quodque saepissime indignissimo decernebatur.

Inde a Commodo populus Romanus per quadraginta annos complurium imperatorum varia scelera perpessus erat. Occidebant illi et occidebantur pari immanitate, quum in armis esset ius omne regnandi.

Bona liberae reipublicae instituta, quae adhuc viguerant sub Antoninis, brevi mutata sunt, neglecti consules et praetores, aucti praefecti urbis et praefecti praetorii. Varia contra unusquisque imperator e sua patria Romam transferebat.

Infelicissima tamen et foedissima erat imperii conditio sub Heliogabalo, qui quidem ipse sacra profanaque omnia polluebat et familiarissime sordidis hominibus, quibus summa munera mandabat, uti solebat. Nullus in conventu, nullus audiente populo fuit pudor.

Eiusmodi viro imperatore, Alexander primos suae aetatis annos transegit, undique eum scelera et crimina cingebant, adeo ut temporum conditioni resistere non posset.

CAPUT I.

Severi Alexandri origo, annus natalis, pueritia.

Bassiano natione Phoenici duae fuerunt filiae: Iulia Domna, Severi imperatoris uxor, cuius filius fuit Bassianus cognominatus Caracalla ¹⁾, et Maesa, Iulii Aviti, viri consularis ex urbe Apamea, uxor, duarumque filiarum mater, Soaemidis ²⁾ et Mammaeae. Quarum quidem filiarum illa Vario Marcello, viro senatorii ordinis nupta, Bassianum peperit cognominatum

¹⁾ Herodianus III 10. et Dio Cassius LXXVIII p. 1311.

²⁾ Occurrit nomen *Soaemis* et graece *Σοαμίδης*. Apud Dionem et Herodianum est *Σοαμίδης*. Lampridius habet *Semiamira* et Eutropius *Simia Siria*, de quo nomine cf. Euseb. Chr. p. 232 seq.

Antoninum et deinde Heliogabalum, hacc Alexi-
anum filium habuit.

De Mammaeae marito apud antiquos scri-
ptores aliqua est dissensio, sed Dionem sequi-
mur qui Gessium Marcianum Syrum ex urbe
Arca, quem eundem fuisse putamus atque
M. Iulium Gessium Bassianum, nominat ¹⁾.

Sed bis nupta fuisse Mammaea narratur a
Iuliano, et primum quidem viro consulari,
deinde viro inferioris ordinis, licet tamen reti-
nerit prioris coniugis dignitatem ex decreto
Caracallae. Neque Herodianus nec Dio loquitur
de altero coniuge, quum hic tantum memorat
Gessium Marcianum, cuius modo mentionem
fecimus ²⁾.

¹⁾ Dio LXXIX. Lampr. in vita c. 1 „Aurelius Alex-
ander ad remedium generis humani, urbe Arcena genitus,
Varii filius, Variiae nepos et consobrinus ipsius Heliogabali.”
Unde sequeretur, quod minus probabile est, unum idemque
nomen patri Heliogabali et Alexandri vel Varium non So-
aemidis sed Mammaeae fuisse maritum. vid. c. 1 in vita
Hel. 1.1. Equidem assentior Dioni, cui aequali Scriptori pro-
cul dubio maior est habenda fides quam Lampridio. Accedit
quod Lampridius ignoravit Heliogabali patris nomen, nullam
enim causam afferre potest cur etiam Heliogabalus dictus
sit Varius. cf. Hel. 2.

²⁾ Herod. V. 3. „Παῖδες δὲ ἦσαν, τῇ μὲν πρεσβυτέρῃ i. e.
Soaemidi, Βασιανὸς ὄνομα, τῇ δὲ νεωτέρῃ i. e. Mammaeae,
Ἀλεξιάνοσ. Dio contra Bassianum Mammaeae filium et Gessii

Alexianus igitur, postea Alexander Severus dictus, Mammaeae et Gessii Marciani filius, matris aviaeque instar Emesae natus esse videtur anno 208 vel 209 p. C. ¹⁾). Educatum simul cum Bassiano consobrino a matre et avia bonis que artibus inde a prima pueritia imbutus, sacerdos fuit Dei Solis, qui apud Phoenices *Elagabalus* nominatus magno in honore fuit ²⁾).

Maesam, quae diu in aula Severi et Caracallae versata magnam rerum aulicarum scientiam magnasque divitias sibi paraverat, ingens militum templum intrantium erga nepotem Bassianum reverentia non fugit; quum hic pulchritudine ac statura conspicuus omnium oculos in se converteret. Ambitiosa illa femina nihil praetermittens, quod consiliis suis inservire posset,

nominat; quod sententiarum discrimen tolli potest, si animadvertimus, Gessium etiam dictum esse Bassianum. Alexandri pater mature decessit.

¹⁾ Lamprid. l. l. et Aurel. Vict. „de Caesaribus“ C. 24 Alexandrum natum esse in urbe Syria Arcena (*Ἀρξην*) tradunt. Dio autem et Herodianus nullam huius urbis mentionem faciunt; quum hic tradit Alexandrum una cum Heliogabalo Sacerdotem fuisse templi Solis Emesini, ille assentitur, memorans Heliogabalo praedictum fuisse, Alexandrum quendam, qui Emesa profectus esset, ipsi successurum esse. Cf. Her. V. 3.

²⁾ Her. V. 3.

spreta filiae suae fama, Bassianum Antonini Caracallae filium esse pervulgavit, additis promissis se imperium ab exercitu largissimis donis redempturam esse.

Milites hoc modo incensi, Heliogabalum, in castra receptum, Antonini nomine purpura induerunt. Quo nuncio accepto imperator Macrinus Iulianum qui milites seditiosos coërceret, ducem misit; mox vero Macrini milites ipsi, dum castra obsidebant, ad Heliogabalum defecerunt, quippe qui tamquam Antonini Caracallae filius iis ostenderetur a matre, Iulianum autem interfecerunt eiusque caput ad Macrinum miserunt¹⁾.

Macrimus tandem ipse ad castra oppugnanda contendit, sed quoniam suos segniter agentes vidit, noctu clam effugit, attamen detectus una cum filio Diadumeno, quem Caesarem paulo ante declaraverat, interfectus est.

Heliogabalus igitur reportata victoria imperator declaratus, hiemem transegit Nicomediae et in sequentem annum triumphum suum Romae celebrandum distulit.

Huius vero imperatoris mox milites poenituit inque consobrinum ipsi inclinavere animos. Inter pessimos enim imperatores ille fuit pessimus, omnia sordide egit, vendidit honores,

¹⁾ Her. V. 4.

et potestatem, legit in senatum sine discrimine aetatis, census, generis, sacra Romana profanavit. Ferre igitur quis posset talem principem per cuncta cava corporis libidinem recipientem, quum ne beluam quidem talem quisquam ferret ¹⁾.

Maesa, quae facile intellegebat, imperatorem impurissimae vitae tandem mercedem laturum esse, ne ipsa in vitam privatam redire cogere-
retur, persuasit nepoti ut Alexianum consobrinum adoptaret ²⁾.

Aviae morem gessit Heliogabalus, quamobrem consobrinum suum introduxit in senatum, quumque Maesam et Soaemidem utrimque iuxta stiterat, Alexianum adoptatum Caesarem declaravit.

Quo anno id acciderit pro certo dicere non ausim. Apud Herodianum enim haec leguntur:
„Ἀποδείκνυται δὴ Καῖσαρ ὁ Ἀλέξανδρος, ὑπατός τε σὺν τῷ Ἀντωνίνῳ κατελθὼν τε εἰς τὴν Σύγκλητον, ταῦτα ἐκίρωσε, γελιοῦτάτα ψηφισαμένων πάντων ἃ ἐκελεύοντο· πατέρα μὲν ἐκεῖνον δοκεῖν, ἔτη γεγο-

¹⁾ Lampr. in vita 5. Her. l.l. 5. sqq.

²⁾ De adoptione cff. Her. l.l. 7 sqq. Quare Caesar declaratus consulque factus sit cum Antonino Dio 9. 17. Lampr. 13. Tillemont histoire des Empereurs p. 174 sqq. Gibbon decline and fall of the Roman Empire I. 173 sqq.

νότα περί που ἐκκαίδεκα τὸν Ἀλέξανδρον δὲ, υἱὸν,
τοῦ δωδεκάτου ἐπιβαίνοντα." Etiam alio loco ¹⁾
quatuor annorum discrimen memoratur inter
Heliogabali et Alexandri aetatem: „ὁ μὲν Βασ-
σιανὸς περὶ ἔτη γεγονὸς τεσσαρεσκαιδεκα, ὁ δ' Ἀλεξι-
ανὸς δεκάτου ἔτους ἐπιβεβηκώς."

Idem Herodianus Alexandri Severi adoptio-
nem et caesaris dignitatem cum die eius natali
coniungit. Iam ex fastis et nummis apparet,
consulem factum esse Alexandrum anno 975 i.
e. p. C. 222, quo anno Heliogabalus occisus est;
hinc igitur sequitur, adoptionem accidisse anno
221 et fortasse non ante Kalendas Octobres,
quia primus eiusdem mensis dies natalis eius
fuerat ²⁾.

Longe alia apud Lampridium ³⁾ inveniuntur,
ubi Alexander imperium accepit, quum ante, id
est Macrino mortuo, a senatu Caesar appella-
tus esset, quod anno p. C. 218 factum est. Plu-
res eiusdem scriptoris loci hac in re consentiunt,

¹⁾ Her. V. 3.

²⁾ Alexander tum quartum decimum aetatis annum iniisse
et Heliogabalus septemdecim annos natus esse videtur, quod
confirmatur a Dione, qui Heliogabalum interfectum esse
anno 222 duodeviginti annos natum narrat. cf. inscriptio
apud Eckhel tom. VIII, 436 „Imp. Caes. M. Aurelio. Severo.
Alexandro. eos. Eidib. Aprilibus. a^o 222."

³⁾ Al. Sev. 1. 2.

Cap. enim secundo „primus denique, inquit, omnium cuncta insignia et honorificentiae genera simul recepit, suffragante sibimet Caesaris nomine, quod iam aliquot annos meruerat” et in Heliogabalo ¹⁾ „statim milites facti sui poenituit, quod in Macrinum conspiraverunt ut hunc principem facerent: atque in consobrinum eiusdem Heliogabali Alexandrum, quem Caesarem senatus Macrino interempto appellaverat, inclinavere animos.”

Lampridio adstipulatur Victor, Alexandrum comperta Opilii i. e. Macrini nece *Caesarem* a nobilitate nuncupatum esse, tradens ²⁾.

Cui Lampridii sententiae obstat, ut de eius temporis nummis taceam, in quibus nulla huius rei mentio fit, locus apud Dionem ³⁾, ubi traditur Heliogabalus virum quendam mirae magnitudinis iam olim ob ipsam hanc causam *Caesarem* declarare in animo habuisse. Si tum Alexander iam *Caesar* fuerat, vix illum adeo stulta subire potuerat cogitatio. Quomodo praeterea Macsae sollicitudo explicari posset: „μη τι ἐκείνου παθόντος πάλιν ιδιωτεύη” ⁴⁾ si statim *Caesar* dictus

¹⁾ l. l. 5.

²⁾ de Caesaribus 23 Plura apud Vignol. l. l.

³⁾ LXXIX.

⁴⁾ Her. l. l. 7.

fuisset. Fusius enim Herodianus de hac sollicitudine agit: Maesa scilicet animadvertens militum indignationem, metuensque ne, si Heliogabalo quid accidisset, ipsa in privatam vitam relaberetur, persuasit levi stolidoque adolescenti ut adoptaret et *Caesarem* declararet consobrinum suum, contendens non peregrinum aut alicnum hominem requirendum, consobрино potius eumtribuendum esse honorem. Hic enim consobrinus ipsius Maesae nepos erat utpote prognatus ex Mammaea, filiarum altera ¹⁾.

Ceterum omni dubio maius est, consulem fuisse Alexandrum anno 222, quia una cum Heliogabalo consul fuit, quod anno laudato accidit. Et id quidem Lampridius affirmat „denique Kal. Ianuariis quum simul tum designati essent consules, noluit Heliogabalus cum consobрино suo procedere” ²⁾.

Adoptatus Mammaeae filius simul cum adoptione Alexandri nomen accepit, ut refert Lampridius, quod in templo apud Arcenam urbem, Alexandro Magno dicato, natus esset, quum forte Alexandri pater die festo cum uxore patria solemnia celebrandi causa eo

¹⁾ cf. pag. 7.

²⁾ Hel. 15.

venisset ¹⁾. Sed assentimur potius Herodiano tradenti illud nomen ei inditum esse ob reverentiam, qua Caracalla heroem Macedonicum coluerat ²⁾.

Quamdiu Heliogabalus consobrinum dilexit, salvus et ipse fuit. Quum autem eum suo vivendi more imbuere non posset, contra videret eum litteris et disciplinis a matre instrui, quod minime cum consiliis suis congruebat, et imprimis quum multos ad eum inclinare animadverteret, nulla non in eius perniciem machinatus est.

Initium fecit a removendis vel interficiendis magistris; quum vero nihil proficeret, sed contra amorem militum erga Alexandrum in dies crescere animadverteret, omni modo eum de medio tollere studuit. Quocumque igitur misit litteras, ut eum quoquo modo, aut in balneis aut veneno aut ferro occiderent.

Alexander vero adeo diligenter et a matre

¹⁾ Sev. Alex. c. 5.

²⁾ V. 7. „Ἀλέξανδρος καλεῖται, παραχθέντος αὐτῷ τοῦ τοῦ πάππου ὀνόματος εἰς τὸ τοῦ Μακεδόνας, ὡς πάνυ τε ἐνδόξου καὶ τιμηθέντος ὑπὸ τοῦ δοκοῦντος πατρὸς ἀμφοτέρων εἶναι.” Caracalla igitur utriusque habebatur pater, quod etiam effici potest ex cap. 3. Ubi Maesa pervulgat: ἐπιφοιτῆσαι γὰρ αὐτὸν (Caracallam) ταῖς θυγατράσιν αὐτῆς νέαις τε οὔσαις καὶ ὠραίαις. Sprevit ergo utriusque filiae famam mater.

et avia neque minus a militibus, qui clam nummos acceperant, custodiebatur, ut tandem ipse Heliogabalus in vitae discrimen veniret. Postquam enim omnes conatus consobrini sui interficiendi irritos vidit, senatui mandavit ut *Caesaris* nomen ei adimeretur ¹⁾.

Quod ubi a senatu altissimo silentio excipiebatur, militesque re audita irritabantur, contulit se Heliogabalus ad hortos spei in monte Esquilino, unde palam misit qui Alexandrum interficerent.

Incepta tamen malum exitum habuerunt. Coactus enim est Heliogabalus prodere omnes, qui cum ipso turpiter vixerant, uno Hierocle magnis precibus retento, et simul se ad bonam frugem rediturum esse promittere debuit ²⁾.

Ab hoc inde tempore militum adspectui consobrinum subtraxit, adeo ut prorsus a vitae consuetudine excluderetur et oblivioni traditus esse videretur. At milites, nusquam comparente puero, vehementer tumultuati sunt, neque prius, a turbis quieverunt, quam Heliogabus cum

¹⁾ Her. l.l. 8. Dio. l.l.

²⁾ Dio l.l. Her. l.l. Lampr. in Hel. c. 13 sqq. Tillemont l.l. tom. III. p. 173 sqq. Gibbon l.l. 174, qui Lampridium de hoc tumultu militari optimos secutum esse fontes putat.

Alexandro supplex in castra pervenit. At vero quum hic honorificentissime et benigno vultu exceptus, carus omnibus et exspectatus veniret, illius contra nulla haberetur ratio, adeo iratus est imperator ut supplicio affecturus esset qui Alexandro acclamassent ¹⁾.

Milites, hac re audita, eum anteverterunt; itaque facto impetu una cum matre Soaemide, duodeviginti annos natus, occisus est ²⁾.

¹⁾ Dio ultimi tumultus causam non addit; veram igitur causam ignorasse videtur.

²⁾ Plura de caede apud Her. V. 8. Lampr. 17 sqq. Vict. Epit. XXIII.

CAPUT II.

Severus Alexander imperator, usque ad
expeditionem Persicam.

Statim post interfectum Heliogabalum ¹⁾ praetoriani milites Alexandrum renunciarunt imper-

¹⁾ Nullum est dubium quin hoc acciderit a^o 222 p. C. Unus Dio interitus mensem et diem indicavit lib. LXXIX: tres annos, novem menses ac dies quatuor, initio sumto a proelio, quo Heliogabalus Macrinum devicit, quod proelium commissum est die septimo mensis Iunii anni 218; diem igitur supremum obiit Heliogabalus a^o 222 die undecimo mensis Martii. Herodianus contra extrema lib. V parte haec habet: „Αντωνίνος μὲν οὖν εἰς ἕκτον ἔτος ἐλάσας τῆς βασιλείας ἅμα τῇ μητρὶ κατέστρεψεν.” Antoninus igitur in sextum annum imperio producto simul cum matre occisus est. — Hinc puta-

ratores annuente senatu, qui in eum uno die varios imperatoriae dignitatis titulos contulit.

runt, sexennii Herodiani initium non a Macrini fuga sed a Caracallae interitu accipiendum esse. Refutat hanc sententiam Vignolius in S. Hippolyt. opera cura Fabricii p. 147 sqq. Si Heliogabalus, inquit, secundum Herodianum initium a morte ipsius Antonini Caracallae deduxerit ob nomen sibi arrogatum, quidni tunc etiam Alexandri imperii initium non a morte Heliogabali sed ipsius Antonini Caracallae desumit, qui pariter, imperio suscepto, Antonini filium Severi nepotem se inscripsit? qui praeterea Alexander non ut subditicius sed ut verus Antonini Caracallae filius habebatur. Cf. Lampr. c. 5. Her. V. 7.

Hoc inde sequi non video; Alexander enim ab Heliogabalo adoptatus tamquam filius patri successit, quum contra inter Caracallam et Macrinum nullum sive legis sive sanguinis intercesserat vinculum. Plura possunt afferri exempla etiam ex posterioribus temporibus, unde appareat principes unius eiusdemque familiae, licet imperium interruptum fuerit, hos quoque annos, ac si ipsi regnavissent, computasse. Praeterea Heliogabalus scribens ad senatum, Macrinum vocavit *raptorem*. Putat Vignolius, nihil inde efficiendum esse, quia nullum ei esset ius Caracallae in imperio succedendi. At vero tempora sunt distinguenda: concedo tempore, quo obiit Caracalla, Heliogabalo nullum fuisse ius, quum autem postea eius filius habitus sit, facile explicari potest cur Macrinum *raptorem* i. e. *irreptorem* vocaverit, et annos regni a Caracallae morte computaverit.

Equidem praeferrem lectionem: εἰς τρίτον ἔτος ἐλάσας τῆς βασιλείας; quae totam dirimit quaestionem et melius congruit cum sequentibus verbis, ubi narrat Herodianus, milites Alexan

Quod ideo factum esse testatur Lampridius, ne ignorarent aut saltem se ignorare simularent milites, qui iam ipsi sibi imperatores creare solerent, quem senatus Principem appellavisset.

Persuaderi non potuit Alexandro, ut vel Antonini vel Magni nomina acciperet, partim quia Antonini nomen a decessore maculatum fuit, partim quia modestior erat quam ut nomen immeritum assumeret ¹⁾. Addit Lampridius ²⁾, ei a militibus ob ingentem vigorem animi et mirandam singularemque constantiam contra militum insolentiam *Severi* nomen inditum esse. Adstipulatur Victor ³⁾ „cognomentum *Severi* accesserat, quum tantae severitatis vim milites inhorrescerent.”

Plura tamen huic Lampridii sententiae obstant: ex nummis enim efficitur, iam ab initio imperii eum *Severum* dictum esse. Unde iam prodiisset illa severitas priusquam imperium iniit,

drum ad imperium vocasse *κομιδῆ νέον*, quod de nullo alio imperatore addidit; minor igitur natu fuit Alexander quam ceteri imperatores, quorum res gestas memorat Herodianus; unde eum actatis annum sextum decimum egisse coniiicere licet.

¹⁾ Lampr. 1.

²⁾ Lampr. 11.

³⁾ de Caes. 24.

quum, teste Herodiano ¹⁾ „ἐπιρροπεσιτέρας τοίνυν τὰς γνώμας πρὸς τὸν Ἀλέξανδρον εἶχον, καὶ ἐλπίδας κρείττους ἐν παιδί κοσμίως καὶ σωφρόνως ἀνατρεφόμενῳ. ἐφροσύρουν τε αὐτὸν παντοίως, ὀρῶντες ἐπιβουλεύομενον ὑπὸ τοῦ Ἀντωνίου.”

Praeterea cognomen, Severus, non post sed ante nomen, Alexandrum, occurrit; dicitur enim Severus Alexander, non Alexander Severus.

Statuendum esse mihi videtur, cum sumsisse hoc nomen in memoriam Septimii Severi, cuius falso habebatur nepos ²⁾; quod aliquatenus etiam probatur ex ipso Lampridio ³⁾, qui inter sedecim electos etiam Catilium Severum, cognatum Alexandri omniumque doctissimum memorat; nomen Severus fuisse igitur videtur nomen familiae.

Alexandro adhuc iuvene, rerum administratio fuit penes Mammaeam matrem et penes aviam, quae tamen brevi post vita defuncta est, ita ut sola Mammaea in gubernanda civitate a filii latere haud decederet.

Matri eum ultra modum obedientem fuisse, cum ex aliis exemplis tum etiam ex matrimonio apparet. Uxorem enim duxerat Memmiam

¹⁾ V. 8.

²⁾ Her. V. 7. παραχθέντος αὐτῷ τοῦ πάππου ὀνόματος rel.

Sulpitii viri consularis filiam, quem proditionis accusatum interficiendum curavit, quum uxor relegata est in Libyam, quia matri auctori refragari ausus non est imperator. De huius facti causa varii in varias abierunt sententias; inter alios Lampridius ¹⁾ auctoritate Dexippi narrat, Martianum, Alexandri uxoris patrem, Alexandrum per insidias interficere studuisse. Dio testatur, Mammaeam ferre non potuisse, filii sui uxorem appellari *Augustam*.

Probabiliora mihi videntur, quae Herodianus ²⁾ affert: „μη φέροντα (sc. πατέρα τῆς κόρης) τὴν Μαρμαίαν ἐνυβριζούσαν αὐτῷ τε καὶ τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ” quibus verbis addit „τῷ μὲν Ἀλεξάνδρῳ χάριν εἰδόντα ἐφ’ οἷς ἐτιμᾶτο, τὴν δὲ Μαρμαίαν αἰτιώμενον ἐφ’ οἷς ὑβρίζετο.” Quod quidem Mammaea aegre ferens, interficere socerum uxoremque in exilium mittere filium iussit. Dio et Herodianus in eo conveniunt, causam quaerendam esse in Mammaeae invidia, quum ex Herodiano effici posset, Alexandri socerum noluisse ferre superbiam, qua et ipse et filia afficerentur, eumque hanc ob causam secessisse ad castra.

Quo cognito, Mammaea metuens ne ille nova quaedam moliretur, filio persuasisse videtur, ut

¹⁾ l. l. 48.

²⁾ VI. 1.

eum de medio tolleret filiamque in exilium mitteret¹⁾.

Quidquid hac de re statuimus, procul dubio Mammaea, licet nonnumquam erraverit, bene meruit et de filio et de imperio²⁾; statim enim sedecim sapientes viros, fortasse senatores, qui mores imperatoris componerent et quibuscum omnes res agenda communiarentur, elegit. Huic collegio³⁾ praefuit Ulpianus, primum repugnante deinde gratias agente matre⁴⁾.

Numero autem sedecim non favet Lampridius⁵⁾, qui tradit, Alexandrum nullam sanxisse consti-

1) Ter matrimonium iniisse videtur, liberos non procreavit.

2) Praeter Ulpianum Lampr. 67 inter sedecim electos nominat Fabium Sabinum, Sabini insignis viri filium sui que temporis Catonem, Aelium Gordianum, imperatoris Gordiani patrem, Iulium Paulum, iurisperitissimum, Catilium Severum, cognatum Alexandri omnium doctissimum, Claudium Venatum, oratorem amplissimum, Pomponium legum peritissimum, alios.

3) Niebuhrius putat, concilium publicum iam exstitisse regnante Hadriano, quod se excoluisse videtur tempore Severi Alexandri. Vid. Nieb. vorträgen bearb. von L. Schmitz, aus dem Eng. von G. Zeiss II.

4) Fuit Ulpianus, fortasse ex urbe Syria Tyro, consiliarius Alexandri et assessor Papiniani tempore Severi, cuius Papiniani etiam dicitur discipulus. Remotus ab Heliogabalo postea Scriniorum magister ab Alexandro lectus est.

5) l. l. 15.

tutionem sine viginti iurisperitis et non minus quinquaginta doctissimis ac sapientibus viris iisdemque disertissimis.

Et hic quidem mos iam invaluerat tempore Augusti, Hadriani, qui nihil suadebant nisi adhibitis in concilio prudentibus et iurisperitis ¹⁾.

Sed in hac quaestione probe sunt distinguenda tempora; sedecim enim illi priores a matre initio regni, hi vero postea ab ipso imperatore lecti sunt. Quod etiam confirmatur a Dione, qui loco laudato aequè utrumque genus distinxit.

Ceterum Domitio Ulpiano praetorianorum praefecturam et reliqua, quae ad summam rerum gubernandarum pertinent, mandavit. Qui quum ea, quae male a superioribus imperatoribus imprimisque ab Heliogabalo instituta essent, corrigere cuperet, ceteroquin observatis legibus omnia administraret populumque defenderet, mox praetoriani eum in odio habere coeperunt suumque etiam erga Alexandrum amorem minuerunt, qui quippe eiusmodi virum tanta dignitate ornasset.

Quid mirum, si minimam quamque resistendi causam arriperent, adeo ut ex parva quadam ansa tanta seditio inter populum et praetoria-

¹⁾ Cf. Rad. Fornerius rer. quotid. IV. 10, tom. II, Thes. Iur. 236.

nos in ipsa urbe Roma exstiterit, ut per tres dies utrimque acriter pugnatum sit, multique ab utraque parte sint interfecti. Postquam vero praetoriani domos quasdam incenderunt, cives, metu ne tota urbs conflagraret adducti, inviti iis indulserunt atque in concordiam redierunt.

Huius seditionis causa longe diversa fuit ab origine tumultus, in quo Ulpianus interfectus est et cui Mammaea ansam dedisse videtur ¹⁾.

Flavianus enim et Chrestus, viri nec rei militaris imperiti et ad res togatas praeclare agendas idonei, iam antea ab Alexandro praefecti dicti, instigarunt milites, quod sibi praeficere Ulpianum Mammaea cuperet; quamobrem Mammaea Alexandro persuasit ut seditionis praetorianorum auctores ulcisceretur. Qua caede peracta, uni Ulpiano praefectorum praetorii munus mandatum est ²⁾.

Aliquo interiecto tempore, praetoriani noctu Ulpianum sunt aggressi eumque, licet se prorsus in Palatium et ad ipsum imperatorem

¹⁾ Dio l. l. Zosimus I, 11.

Xiphilinus et Zonaras, qui Dionem excerpserunt, Ulpianum auctorem fuisse caedis Flaviani et Chresti narrant, ut iis succederet. Zosimus, qui etiam Dionem ob oculos habuit, culpam vertit in Mammaeam. Huius sententiam sequuntur Tillem. Cuvier, alii.

²⁾ Fortasse hanc ob causam culpam verterunt in Ulpianum.

confugisset, in ipsius imperatoris adspectu interfecerunt ¹⁾ circa annum 228 ²⁾).

Tanta iam erat principis debilitas, ut ne laesa quidem maiestas vindicari posset nisi adhibita summa cautione. Epagathus enim, qui iam sub Antonino Caracalla magnam adeptus erat potentiam, praecipuus caedis Ulpiani auctor, missus est in Aegyptum, cuius gereret praefecturam, deinde in Cretam, ubi, omni metu ne tumultus oriretur sublato, meritas facinoris poenas luit.

Ceterum praetoriani omnia e sua re diiudicabant, quique nova quaedam, quae minus sibi placerent, inducere conabantur, serius ocius de medio tollebantur.

Unum praeterea exemplum abunde probat imperatoriae dignitati nil nisi imaginem pristinae potentiae superfuisse, quum summae res penes praetorianos essent.

¹⁾ Zosimus l. l. Syncellus „ὄρωντος τοῦ βασιλέως.“

²⁾ Certe non post anno 229, quia Dio, cuius opus desiit in anno 229, huius caedis mentionem facit. Si Dionis verba πρὸς τῷ Οὐλπιανῷ significant „praeter Ulpianum“ nullum superesset dubium quin Ulpianus obierit anno 228, quum enim milites Dionis mortem postulabant, Alexander eum consulem declaravit in annum sequentem i. e. 229.

Lampridius cum in aliis rebus tum in hac narratione omnia, quae heroi suo nocerent, omisit.

Dio Cassius enim, praefectus legionum Pannonicarum, ob ipsam, quam memoravi, causam in odium praetorianorum, qui mortem eius ab Alexandro flagitabant, incidit ¹⁾. Sed imperator eum consulem ²⁾ designavit in sequentem annum, ei tamen suadens, ne in ipsa urbe Roma dignitatis tempus transigeret, quoniam persuasum sibi haberet, vitam Dionis ne unum quidem diem tutam fore ab insidiis praetorianorum; quocirca in abditum quendam locum Campaniae se recepit, unde venia impetrata profectus reliquum vitae tempus Nicæae urbe natali in Bithynia transegit, ubi historiam ad alterum suum consulatum, igitur ad annum ducentesimum vicesimum nonum, conscripsit.

Fieri non potuit quin legionum ³⁾, quae prae-

¹⁾ Initio regni Alexandri degit Dio Cassius in Asia, unde in patriam Bithyniam revertit. Ibi aliquamdiu morbo laborans dignitate proconsulari Africae administrandae praepositus est. Redux Romam ibique nonnihil temporis moratus, missus est in Dalmatiam, deinde in Pannoniam, ubi legiones severissima disciplina assuefacere conatus est.

²⁾ Ter Alexander iniit consulatum, anno 222, 226 et 229. Hoc anno Dio, iterum consul, collega imperatoris fuit.

Alexander, ut est apud Lampr. 28, „consulatum ter iniit ordinarium, ac primo mundino sibi alios semper suffecit.”

³⁾ Erant tempore Augusti viginti quinque legiones, quibus a variis imperatoribus aliae additae sunt, ita ut harum numerus creverit ad triginta duas. Eae hoc modo erant divisae:

torianorum exemplum sequebantur, insolentia in dies cresceret, quum propter imperatoris indulgentiam omnis disciplina militaris sensim evanesceret, donec tandem quaevis commutatio, ab imperatore instituta, tamquam iuris diminutio haberetur.

Quandoquidem igitur Alexander de cohibenda militum luxuria desperabat, omnibus, quibus potuit, modis eorum benevolentiam captare studuit; commutavit vestes et arma, eosque magis pompam militarem quam milites proprie sic dictos habere coepit; aegros adiit eosque consolatus est, semper exclamans: se milites magis servare quam semetipsum, quod salus publica in his esset ¹⁾.

Quam lenissime potuit speciem quandam prioris disciplinae militaris in vitam revocare studuit, sed irriti fuerunt conatus omniaque tandem in ipsius perniciem versa sunt ²⁾.

ternae in Bithynia, Moesia et Germania; singulae in Italia, Hispania, Numidia, Arabia, Phoenicia, Norico et Rhaetia; binae in Palaestina, Syria, Mesopotamia, Cappadocia, Dacia; quatuor in Pannonia. Duarum legionum regio non memoratur a Dione; fortasse in Gallia. Secundum Lampridium numerus militum in unaquaque legione fuit 5000.

¹⁾ Lampr. l. l. 46.

²⁾ Zosimus I. 12 sqq. Lampr. 53 sqq. Her. VI. 7.

CAPUT III.

Expeditio Persica.

Praeter seditiones in finibus imperii Alexander primis sui regni annis pace extra Italiam fructus est. Lampridius ¹⁾ loquitur quidem de rebus feliciter actis in Mauretania Tingitana per Furium Celsum et in Illyria per Varium Macrinum, eius affinem, et in Armenia per Iunium Palmatum; videntur tamen eae in reliquorum scriptorum silentio nullius aut certe exigui fuisse momenti. Sed aliquot annis post multae a multis motae sunt seditiones, in Illyria, Mauretania, Armenia, Mesopotamia et Germania;

1) l. l. 57.

ubique tribuni impune necati et imperatoria dignitas contempta.

Gravissimae vero et maxime perisulosae seditiones in Mesopotamia acciderunt, quae non solum Romanis, verum etiam aliis populis imminebant.

Tempore belli Punici primi a Seleucidis, Syriae regibus, defecerunt Parthi, auctore Arsace, viro impigro, cuius successores, Arsacidae dicti, imperium expeditionibus bellicis firmarunt atque auxerunt, et per quinque fere saecula tum aliis molesti fuerunt, tum Romanis saepe magnam iniecerunt nominis sui formidinem.

Ultimus huius stirpis rex Artabanus IV, qui post bella quaedam anno 217 Romanos, imperatore Macrino devictos, turpissimis conditionibus pacem inire coëgerat, non multo post tribus proeliis profligatus interfectusque est ab Artaxerxe, qui Parthorum regno finem imposuit, tiaraque sumpta regnum Persicum restituit. Sed haec paullo accuratius exponamus.

De Artaxerxis ¹⁾ origine pauca constant: fuit natione Persa et ab iis, qui ei favent, progenies ex veteribus regibus Persicis habetur,

¹⁾ Nomen eius a variis scriptoribus varie scribitur: Agathias habet *Artaxares*; Dio, Hierodanus, Lampridius *Artaxerxes*; Aur. Vict. et Eutropius *Xerxes* sed Orientalibus nomen est *Ardshir* vel *Azdashir*.

licet eius maiores sensim paulatimque in privatos cives relati essent; ab iis contra, qui minime ei favent, dicitur militis cuiusdam Sassanis et coriarii filiae Babecis filius fuisse. Militaverat in castris Artabani, sed, ut videtur, in exilium missus, ab hoc inde tempore Persas a dominatione Parthorum liberare sibi proposuerat.

Incepta prospere cesserunt eiusque auctoritatem omnes acceperunt. Remoto aemulo, ipsi in votis fuit ut, eripiendo Romanis omnes, quae antea Persis obtemperassent, regiones, antiquum regnum Persarum restitueret. Quod ut perficeret, tetendit ad fines Mesopotamiae et Syriae; eadem vero urbs, Atra, quam Traianus et Severus frustra oppugnaverant, restitit Artaxerxi, ita ut multis amissis militibus se recipere cogeretur.

Deinde arma intulit Medis, quorum acque ac provinciae, quae proprie dicitur, Parthorum magnam partem aut vi aut timore cepit. Inde in Armeniam transire in animo habuit, unde tamen ab incolis, quos nonnulli Medi et filii Artabani adiuverant, profigatus se domum recepit sive ad maiores comparandas copias sive, ex aliorum sententia, ut salutem in fuga quaereret ¹⁾.

Illud verisimilius mihi videtur. Artaxerxes

¹⁾ Dio LXXX.

enim paullo post ingenti comparato exercitu non modo Mesopotamiae sed etiam Syriac imminabat, minitans se omnia recuperaturum esse, quaecumque mari Graeco tenus Persae olim obtinuissent, quippe quae avito iure inde a Cyro usque ad Darium Persarum fuissent.

Huiusmodi acceptis nuntiis, Romani formidaverunt, quia militum pars ad Artaxerxem transiit, pars etiam cum eo in certamen descendere noluit. Quamobrem Alexander, hortantibus consiliariis, legatos ad Artaxerxem misit, qui eum quocumque modo sive verbis sive donis ab inceptis avocarent. Addidit litteras ¹⁾, quibus cum hortatus est, ut intra fines se contineret neque res novas moliretur; unumquemque suis contentum esse oportere, monuit porro, ne inani spe ductus magnum excitaret bellum; Romanorum enim potestatem artemque bellandi longe distare a belli peritia et usu vicinorum barbarorum.

Irriti tamen fuerunt conatus. Perrexit enim Artaxerxes devastare Mesopotamiam castraque Romanorum, quae ad fines custodiendos prope fluminum ripas posita erant, adortus est.

Tum vero Alexander, licet civitatis quieti

¹⁾ Her. VI. 2.

assuetus, diutius a bello abstinere non potuit ¹⁾. Quamobrem omnes, qui aetate et corpore ad militandum idonei erant, ex populis subiectis convocavit; praetorianis autem, in quos quidem nulla erat imperatoris potestas, spe victoriarum et praemiis, ut secum expeditionem facerent, persuasit.

Tali modo exercitum, qui Persis resistere posse videbatur, coëgit locoque designato, quo convenirent, urbem reliquit inter lacrimas populi et ipse saepius se convertens lacrimas fudit.

Iter magna celeritate fecit per Illyriam, ibique multis collectis copiis, Antiochiam contendit.

Eo delatus, iterum statuit ²⁾ mittere legatos, sperans fore ut Artaxerxes imperatoris praesentia adductus, pacis verba amplecteretur. Sed re infecta Artaxerxes legatos remisit quin quadringentos Persas, statura insignes et magnificentissimis vestibus indutos elegit, qui mandatu regis imperatorem iuberent abdicare omnibus possessionibus, quae olim ad imperium Persicum pertinuissent.

Hac superbia irritatus Alexander, eos vestibus privatos in Phrygiam misit, ut ibi agros

¹⁾ Urbis conditionis ratione habita, additaeque origine Syrica, nil mirum eum a bello abstinere cupivisse Her. VI, 3.

²⁾ Her. VI, 4.

colerent neve in patriam redire possent. Negare non licet, inesse hac in re nonnihil iniuriae, egit enim contra ius gentium, quo legatos id est sacrosanctos viros ab omni iniuria tutos esse oporteret. Sed hoc loco quaestio oritur, cur Artaxerxes quadringentos miserit legatos, quum tres quatuorve satis superque fuissent, qui mandata ad imperatorem deferrent? Susplicamur paene, splendidam huiusmodi legationem alio spectasse quam ad verba deferenda; fortasse ea licet non constet, iam antea aliquid perpetravit, quod agendi rationem Alexandri excuset. Neque negligendum est, Imperatorem legatis non interfecisse, „ἀποκτείναι γὰρ ἀνόσιον καὶ οὐ πάνυ ἀνδρείον ἠγήσατο” ¹⁾.

Alexandro Antiochiae degente seditionem ortam esse narrat Lampridius ²⁾; milites enim quosdam, qui lavacris muliebribus ac deliciis vacabant, ille comprehendi atque in vincula coniici iussit; quod ubi compertum est, seditio mota est a legione, cuius socii poenam subierant. Tum vero Alexander tribunal adscendens orationem habuit, in qua necesse esse ostendit, vitia, quae invaluerant sub decessore, corrigi et disciplinam restitui. Quum tandem milites

¹⁾ Her. l. l. 4.

²⁾ Lampr. 52 sqq. Cf. Gibbon l. l. 183.

vehementius fremerent ferroque minarentur, „Quirites, discedite, inquit, atque arma depone.„ Statim tempestas sedata est et milites omnes ad diversoria sua recesserunt. Legionem, quam exauctoraverat, in locum suum restituit, tribunos tamen capitali affecit supplicio, quod horum sive negligentia sive indulgentia seditionem militum peperisset.

Haec vero narratiuncula nihil habet quo se commendet; unus Lampridius, qui maximo clamore et plausu memoriam Alexandri prosecutus est eumque tamquam imaginem optimi principis descripsit illius testis prodit, neque alii neque Herodianus, licet de quibusdam, qui ad Artaxerxem defecissent, loquatur ¹⁾, seditionem ipsamve, quae cum hac cohaeret, fabulam tetigerunt.

Quod ad ipsam expeditionem attinet, scriptores in diversas abierunt sententias, maxime Lampridius et Herodianus. Ille enim, Artaxerxem devictum esse ab Alexandro eumque non tantum boni ducis sed etiam militis officio functum Romam rediisse et triumphasse tradit; quin totus Persarum exercitus, qui constiterit ex centum viginti milibus equitum et septingentis elephantis, fusus fugatus, immensa praeda

¹⁾ Her. IV in fine.

parta et Mesopotamia in imperatoris potestatem redacta esset, atque tum primum Persae servi apud Romanos fuissent. Adduntur in huius narrationis fidem acta senatus ¹⁾ aliaque monumenta, quae deinceps paullo accuratius perscrutabimur.

At Herodianus quantum differt? qui singula, quae acciderunt, ordine memorat victoriamque Artaxerxi tribuit ²⁾. Ipso teste, res sic gesta est.

Ubi Alexander Antiochiam advenit, exercitum suum in tres divisit partes, quarum primam, per Armeniam signa moventem, quae regio Romanis favere videbatur, Medorum terram devastare iussit ³⁾; alteram meridiem versus, ubi Tigris et Euphrates confluunt, misit ⁴⁾; tertiam eamque optimam partem ipse per mediam barbarorum terram ducere pollicitus est, loco designato, quo singulae partes se coniungerent.

¹⁾ Al. Sev. 55 sqq.

²⁾ Her. VI. 5. sqq.

³⁾ Foedus cum rege Chosroe et series montium, qui transitum non praebuerunt equitatu Persarum, viam aperuerunt huic exercitus parti.

⁴⁾ Putat Till. l. l. c. 23. 225 not. alteram partem Ctesiphontem esse missam, quae urbs Parthorum regni caput fuerat; quia ea, quae proprie dicitur, Parthia cum narratione non conveniat.

Exercitus, qui contendere per Armeniam iussus erat, aegre superatis eius regionis asperrimis et praeruptissimis montibus, licet aestas tolerabilius iter faceret, impetu in Mediam facto vicos concremavit praedamque magnam abegit. Quod quum Artaxerxes cognovisset, frustra se, quantum fieri potuit, munivit, invadentes enim Romanos prohibendi minime ei potestas erat.

Artaxerxes, non multo post nuncio accepto, alterum Romanorum agmen ipsi Persidi immingere, copiis quibusdam relictis, ipse cum toto reliquo exercitu meridiem versus contendere decrevit; quamobrem milites Romani, nullo apparente neque resistente hoste, quibusque praeterea persuasum erat Alexandrum, in medios irruentem barbaros, se cum suis coniuncturum esse, incautius perrexerunt.

Alexander vero eorum spem fefellit, quippe qui neque exercitum adduxerit neque ipse loco designato adfuerit, sive metu correptus sive admonitus a matre, quae fortasse amore erga filium mota vel suae auctoritati metuens si quid filio accideret, hunc a periculis adeundis abduxit; quidquid est, imperatoris cunctatio, quae nullo modo excusari potest, causa fuit copiarum interitus. Persa enim eos, qui ad Euphratem et Tigrin missi erant, toto suo

exercitu aggressus nihil tale exspectantes, circumventos magnam partem interemit.

Huius cladis certior factus Alexander, alteram partem, quae per Mediam penetrabat, redire iussit. Difficillimus tamen fuit reditus, adeo ut plurimi non tantum bello verum etiam morbo et frigore interierint, nec pauci etiam obtruncati sint ¹⁾.

Tali clade accepta, Alexander in morbum incidit sive ex animi moerore sive aëris conditione, et milites vehementissime indignati sunt, quod suos ipse destituisset atque barbaris prodidisset.

His diversis sententiis allatis, quid in re dubia statuendum esse videtur?

Ut iam supra animadvertimus, Lampridius in Severi Alexandri vita describenda vix res bellicas tetigit, adeo ut quum tandem eum expeditionem descripturum esse credas, rursus more suo redeat ad imperatoris consuetudinem de rebus vel tacendis vel prodendis ²⁾. Multus est in rebus inferioris ordinis memorandis, quomodo negotia nullius fere momenti administrarentur, milites disponderentur, ut in mansionibus annonas acciperent, nec portarent cibaria decem

¹⁾ Expeditio facta est anno 235 et per unum annum duravit, cf. Her. VI, 2.

²⁾ l. l. 44.

et septem dierum ¹⁾. Tum digreditur, ut inserat historiam quandam Ovinii Camilli, qui tyrannidem affectaret, et tandem Cap. 49 ad ipsam expeditionem redit, nihil aliud memorans, nisi quod milites disciplina et reverentia ut senatores transire dicerentur, Alexandrum fecisse phalangem triginta milium hominum, quos phalangarios vocari iussisset, et quibuscum multa praeclare gessisset. Rursus digreditur et Cap. 54 haec tantum verba inveniuntur, „magno apparatu in Persas profectus, Artaxerxem regem potentissimum vicit ²⁾).

Ex his indiciis facile sequitur, Lampridii fidem hac in re parvi faciendam esse, quum praesertim mores imperatoris privatos admiratus, res bello gestas ad horum imaginem adumbrare studeat. In memorandis quoque hostium viribus continuo eius in maius augendi studium apparet; illo enim teste, Artaxerxis exercitus constitit ex septingentis elephantis falcatisque curribus mille et octingentis, equitum autem multis millibus ³⁾.

¹⁾ l. l. 46.

²⁾ In sqq. Capitibus accuratam triumphii descriptionem dedit.

³⁾ Cf. descriptio copiarum Persicarum in Xenoph. Anab. l. 8. ubi hostium ferebantur fuisse duodecies centena millia, et currus falcati ducenti, quum Cyro tantum barbarorum

Praeter haec argumenta externa afferri possunt interna, quae nostrum de Lampridio iudicium confirmant; si enim Alexander qualemcunque tandem victoriam reportaverit, quidni pacis conditiones sibi secundiores pactus est? Porro, qui nobis gravissimus testis esse potuerat, Dio cur ne verbo quidem de huius expeditionis exitu loquitur? Quod, me iudice, etiamsi desierit in annum 229, fecisset, si vera fuissent, quae Lampridius nobis tradit. Verisimile igitur est, Dionem rem male gestam describere aut non ausum esse aut noluisse. Tandem nihil mirum id, quod valuit in multos alios principes, etiam valuisse in Alexandrum, historiam in maius auctam esse studio aulicorum et dissimulatis incommodis magnifice praedicatam esse.

Ab altera parte multa quoque obstant Herodiani narrationi ¹⁾. Nam in expeditionis descriptione, quamvis ampla, multa minus perspicua occurrunt. Ubi v. c. moratus est Alexander, quo tempore dimicarunt duae reliquae partes? Divisit exercitum suum Antiochiae,

centum millia atque currus falcati circiter viginti fuissent. Vid. Gibbon l.l. 244.

¹⁾ Iam Till. animadvertit, descriptionem geographicam esse turbatam.

quum V. 6. „ἔσφηλε, inquit, δὲ αὐτοὺς ὁ Ἀλέξανδρος
 μήτε εἰσαγαγὼν τὸν στράτον, μήτε εἰσελθὼν.” Inde
 efficere liceret, Alexandrum per totum pugnae
 tempus mansisse in urbe Antiochia, attamen l.l. 6
 „τὸ δὲ, inquit, σὺν αὐτῷ πλῆθος ὁ Ἀλέξανδρος
 εἰς τὴν Ἀντιόχειαν ἐπανήγαγεν” unde sequitur,
 eum urbem reliquisse atque suum exercitum
 reduxisse; sed unde reduxit? quo tetenderat?
 Ne minimum quidem huius rei indicium apud
 ipsum Herodianum exstat; fieri potest ut serius
 urbem reliquerit, sive hac illave causa mora-
 tus sit, precibus fortasse matris suae inductus.
 Qui tamen perhibeant, Alexandrum revera ur-
 bem reliquisse, eumque una alterave re im-
 peditum fuisse, quominus duas reliquas sui
 exercitus partes coniungeret, nos assentientes
 habebunt. Quae sententia, licet coniectura nita-
 tur, aliquatenus firmatur loco Lampridii ¹⁾ ubi
 aliorum scriptorum sententias afferens „sed qui-
 dam, inquit, dicunt, a servo suo Alexandrum
 proditum non vicisse regem, sed ne vinceretur,
 fugisse.”

Si porro animum ad totam narrationem adver-
 timus, non latet magnum discrimen in cladis
 descriptione extr. Cap. 5, ubi, nulla adhibita
 cautione, plurimos Romanos interiisse narrat,

¹⁾ l.l. 56.

de Persis contra nihil tale affert, et Cap. 6, ubi memorat, tot apud Persas cecidisse, quot apud Romanos, barbarosque numero suo, non fortitudine, reliquos Romanos devicisse ¹⁾).

Sponte igitur apparet, Herodiani narrationem integram probari non posse, quamquam facile concedimus, eam magna ex parte cum veritate convenire; procul dubio Artaxerxes devicit et fugavit Alexandri exercitum. Sed altera quaestio est, num haec victoria Artaxerxi aliquod attulerit emolumentum? Non credo; a nullo scriptore rex fines imperii protulisse traditur, ne Mesopotamiam quidem imperio Romano detrahere potuit, neque per tres quatuorve annos ad arma profectus est, quod, ut Herodianus ait, οὐ μικρὸν δαίγμα fuit τῆς τῶν Βαρβάρων κακώσεως. Praeterea legimus de pace inter Persas et Romanos, quae ab Alexandro inita usque ad Gordianum viguit ²⁾).

Fortasse quis dicat, si Artaxerxes victoriam aliquam reportaverit, cur pacem iniit sine ullo emolumento? In hac quaestione probe

¹⁾ Her. l. l. „ὡς σχεδόν ἰσαριθμοῦ γενομένου τοῦ ἐκατέρωθεν πεσόντος στρατοῦ, τὸ περιλειφθὲν τῶν Βαρβάρων πλήθει, ἀλλ' οὐ δυνάμει δοκεῖ νενικηέναι.“

²⁾ Maximinus in Oriente non fuit. vid. Nieb. Röm. Gesch. Supra laud. Jena 1845. V.

tenendum est, quomodo Persarum exercitus describerentur; non enim utebantur illi copiis mercenariis neque militibus perpetuis, belli artibus exercitatis, sed potius multitudo virorum, interdum etiam feminarum, congregabatur, et expeditione peracta ad suas quisque sedes redibat secum auferens, quae ex rapina sibi servasset, quum nullum acciperent stipendium; saepe igitur omnia, quae ipsis cara essent, possessiones, familiae, liberi relinquenda erant, quod plerumque non nisi inviti faciebant; quibus vero id vix semel persuaderi potuit, hi iterum haud potuerunt contrahi bello quocunque modo peracto ¹⁾.

Si his tandem addimus belli exitus non fuisse prosperrimos, nihil mirum, Artaxerxem pacis condiciones accipere coactum fuisse.

¹⁾ Her. VI. 5 „Ὁ δὲ Παρθυσίος ἐπιστελεῖν ἔφη τοῖς σατράπαις δύναμιν ἀθροίζειν· οὕτω γὰρ εἶωθεν, ἠπηνίκα αὖ δεηθῆ, στρατὸν συλλέγειν, τῷ μὴ ἔχειν μισθοφόρους καὶ συνεστὸς στρατιωτικόν.”

CAPUT IV.

De iis, quae post expeditionem acciderunt.

Hac expeditione peracta, Alexander rediit Antiochiam, ubi salubri aëris temperie recreatus iterum copias collegit, quas adversus Persas ducturus erat, si bellum renovare cuperent ¹⁾.

Artaxerxes vero ob eas, quas modo attulimus, causas copias suas dimisit singulosque domum redire iussit. Quo nuncio accepto, Alexander bellicis occupationibus liberatus, molliori vitae urbisque deliciis se tradidit.

¹⁾ Her. VI. 6 „δύναμιν τε ἤθροισεν καὶ παρεσκευάσεν, ὡς ὄν πάλιν ἐπάξων Πέρσαις, εἰ ἐνοχλοῖεν καὶ μὴ ἡσυχάζοιεν.”

Verum non diu ille hoc otio frui potuit, nam derepente nuncii et litterae ab Illyricis procuratoribus adfuerunt, quae eum vehementissime perturbarunt gravemque curam animo iniecerunt; quippe quae indicarent, Germanos Rhenum et Istrum transgressos, in fines Romanorum hostili animo intrasse, iamque oppugnare exercitus ripis insidentes, perque vicos et urbes magnis copiis excurrere; Illyrios igitur in maximo versari periculo, quod quidem perniciosissimum ipsi adiacenti Italiae fieri posset; hanc ob rem non solum ipsius imperatoris praesentia quam maxime opus esse verum etiam totius, qui ipsum comitaretur, exercitus.

Relictis autem copiis, quantas pares fore tuendis Romanis ripis in oriente arbitratus est, castrisque et castellis diligentius communitis ac praesidio firmatis, ipse adversus Germanos cum militibus suis tetendit, confectoque celeriter itinere, res ad bellum Germanicum necessarias comparavit ¹⁾.

Iam tunc inter milites imprimis Illyrios et imperatorem quaedam orta erat contentio et propter male rem gestam adversus Persas et ob nuncios e patria ad se allatos, quum Alexandrum auctorem omnium malorum arbitrarentur,

¹⁾ Her. VI. 7.

quippe qui socordia sua omnia perdidisset. Illis vero donis et promissis sibi reconciliatis, venit in Europam. Num primum adierit Romam, non liquet. Sunt etiam, qui putent Alexandrum profectum esse Romam, ut triumphum ageret et ludos daret; quod tamen non credimus ob eas causas, quas supra de ipsa expeditione attulimus et praeterea ob magnum, quod populo Romano imminebat, periculum.

Nos potissimum Herodianum auctorem probamus¹⁾, illum magna cum celeritate Antiochia profectum esse statimque adfuisse ripis Rheni²⁾ ibique continuo pontem fecisse, quo traduceret copias.

Alexandri exercitus constabat magnam partem e Maurusiis et sagittariis Osroënis, etiam e Persis, qui pecunia corrupti ad Alexandrum defecerant³⁾; adeo ut militum eius numerus hostium exercitum aequaret.

At vero hîc quoque Alexandro placuit legationem mittere, quae de pace ageret et suis

¹⁾ Her. l.l.

²⁾ Her. „ἀνύσας δὲ τὴν ὁδὸν μετὰ πολλῆς σπουδῆς, ἐπέστη ταῖς τοῦ Ῥήνου ὄχθαις.”

³⁾ Fortasse verba Lampridii in vita Alex. 54 „tumque primum Persae *servi* apud Romanos fuerunt” ad hosce milites spectant, ubi vis verbi *servire* in maius aucta pro *militare* sumta esse videtur.

verbis polliceretur ea, quibus illi sibi opus esse dicerent, seque etiam ad procurandam pecuniam paratum esse, qua iis facillime persuaderi posse arbitrabatur. Quamobrem milites Romani aegre tulerunt, Alexandrum frustra tempus terere neque ullam dari rei fortiter gerendae opportunitatem, Alexandro, ut aiebant, unice intento aurigationibus et deliciis ¹⁾).

Triginta annis ante imperator Severus post expeditionem orientalem aliquamdiu moratus erat in Thracia, ut celebraret diem natalem filii sui Getae. Ibi virum quendam cognovit, qui fortitudine ac robore corporis omnes, quos ante viderat, facile superabat. Nomen ei fuit Maximinus licetque intra fines imperii natus esset, origine tamen fuit Barbarus, patre quippe Gotho, matre e gente Alanorum orta.

Sub Severo eiusque filio centurionis munere functus, gratia et favore utriusque principis usus est. Ne ingratus videretur, recessit post interfectum Caracallam a re militari eoque rediit demum Alexandro imperatore, quia in ludibrium verti ab Heliogabalo eum taedebat ²⁾).

Alexander eum maximo honore prosecutus

¹⁾ Her. VI. 7.

²⁾ Jul. Capit. in vita. 4.

est praefecitque quartae legioni, cuius fuit tribunus. Hanc legionem ipse disciplina militaris assuefecit, ut longe praestantissima totius exercitus haberetur, et praeterea omnium militum ora adeo in se convertit ut eum ob fortitudinem Aiacem et Herculem cognominarent.

Tandem se prorsus insinuavit in gratiam imperatoris, unde hic illum praeposuit exercitationibus tironum, quod princeps in re militari munus fuit, et sororem Theocliam in matrimonium eius filio dare cogitavit: „Mi mater, sic legimus apud Lampridium: Si Maximinus senior dux noster et quidem optimus, non aliquid in se barbarum contineret, iam ego Maximino iuniori Theocliam tuam dedissem” ¹⁾.

Omnes hi honores dominandi studium incitarunt, primusque in civitate fieri sibi proposuit Maximinus. Facile plurimorum militum gratiam sibi acquisivit, quippe qui praeesset illis tironum exercitationibus, quorum quidem benevolentiam sibi comparare nullo negotio poterat.

Omni modo eos ab imperatore abalienare studuit eumque in invidiam vocavit apud milites, ostendens, qualis revera imperator Alexander esset, qui per tredecim annorum spatium prorsus

¹⁾ Lampr. Max. Jun. 3.

in materna vixisset potestate, nullam rem bene gessisset et imperatoria dignitate idcirco indignus esset. Tempus adest, addit, elegendi imperatorem revera militem bellicae exercitationibus adsuetum.

Tandem finem sibi propositum assequitur, brevi enim milites post Maximinum imperatorem salutarunt, ut quidam dicunt ipso, ut alii tradunt, tribunis barbaris auctoribus, Alexandrumque, ad matrem fugientem, interemerunt.

De hac caede duae prorsus diversae afferuntur sententiae, altera Lampridii, Herodiani altera. Ille enim huiuscemodi fere verbis spectaculum caedis oculis nostris exhibet ¹⁾: „pranderat Alexander more solito modico convivio et se receperat dormitum apertis papilionibus; hora vero septima diei quum unus e Germanis, qui scurrarum officium sustinebat, in tentorium imperatoris ingressus erat, huic, Alexander quid est, inquit, contubernalis, num quid de hostibus nuntias? Audita hac voce Germanus perterritus neque se evadere posse putans, suos exhortatus est contubernales, qui subito plures armatique ingressi, inermes et resistentes imperatoris ministros trucidarunt et ipsum imperatorem pluribus ictibus confoderunt.

1) l. l. 60.

Quam inepta sit haec narratio quis non videt? In tota descriptione multa obscuritate involuta iacent. Cur, exempli gratia, Germanus ille scurra intravit tentorium? E Lampridii verbis statuendum esset, eum forte introisse, quomodo ceteroquin metus ille subitus explicari posset? Et si ponimus, introitum fuisse fortuitum, quâ ei statim in mentem venire potuit exhortari contubernales, et quibus argumentis iis persuasit, quum iam somno se dedissent facinorisque igitur conscii non essent? Etiam si statuamus, scurram meditatum adiisse imperatorem, narratio probari nullo modo potest. Quo enim consilio se ad tentorium contulit? Fuitne corruptus ab hoc illove magistratu vel a Maximino? Nullum exstat indicium, quo haec coniectura nitatur. Quid, quod ne ipsi quidem Lampridio penitus persuasum fuit? Etenim aliorum quoque commemorat sententiam ¹⁾.

Potius credimus Herodiano, qui satis accurate et copiose de hac re disputat.

Ut iam supra vidimus, Maximinus propter rerum bellicarum peritiam, quae ab omnibus agnoscebatur, tironum exercitationibus praepositus est ab Alexandro. Hos tirones non solum

¹⁾ l. l. 60.

exercendo et eorum laboribus praeiungendo, ita ut praeter discipulos aemulati atque imitatores tantae fortitudinis fierent, verum etiam donis et variis honoribus sibi conciliavit. Iam tunc omnia consilia et facta ad dignitatem imperatoriam referre coepit et nulla non molitus est, ut ab Alexandro milites abalienaret.

Quemadmodum uniuscuiusque vitae ratio et facta facile reprehendi possunt et saepe in hac illave re reprehendenda sunt, sic etiam Alexandrum cavillatus est Maximinus, quippe qui matri unice deditus non is esset imperator, quem imperio Romano praeponi oportuisset.

His et multis aliis verbis persuasit militibus, qui ab hoc inde tempore Alexandrum interficiendi et Maximinum imperatorem substituendi consilium ceperunt.

Quum igitur milites militaribus exercitationibus vacarent, advenientem Maximinum purpura induerunt et imperatorem proclamaverunt ¹⁾. Hic tamen primo eos reprehendens purpuram abiecit; quoniam vero milites minabantur, se illum, si recusaret, interfekturos esse, futura periculo

¹⁾ Her. 1.1. εἴτε ἀγνοῦντα τὸ πραττόμενον, εἴτε καὶ λάθρα τοῦτο προκατασκευάσαντα.

anteponit et honorem accepit, se invitum et vi coactum id facere dictitans ¹⁾).

His nunciis acceptis, Alexander in maxima sollicitudine versatus est et trepidans lacrimasque fundens Maximinum perfidiae et ingrati animi accusavit. Non vero se fortem virum praestitit, contra militum misericordiam movit et confugit ad promissa, quibus per parvum temporis spatium tumultuantes sibi reconciliavit et ad officium revocavit; ubi vero Maximinus, qui magis clandestino desiderio militum quam apertis promissis nitebatur, cum copiis suis appropinquavit, omnes fere reliquerunt Alexandrum et ad Maximinum defecerunt. Quamobrem derelictus Alexander, fugit ad tentorium suum, ubi a tribuno et centurionibus quibusdam, a Maximino dimissis, statim arreptus est.

Nequaquam virili animo fatum suum subiit, gemitu enim et lamentationibus, quod sibi superfuit, tempus vitiauit, incusans matris superbiam et avaritiam tamquam caedis causam.

Eodem tempore Mammaea quoque occisa est et, si qui imperatoris viderentur amici, partim interfecti partim ab exercitu et aula remoti sunt ²⁾).

¹⁾ Her. 1.1. 9.

²⁾ De loco, ubi Alexander interfectus est, nihil constat,

Testibus Lampridio et Chronico Paschali Alexander tunc triginta annos natus fuit, uniusque anni discrimen inter Heliogabali et Alexandri aetatem intercessit, nam Heliogabalus anno 222 egit annum duodevicesimum, natus igitur fuit anno 204, Alexander vero obiit anno 235, annum tricesimum aetatis agens, natus igitur sit necesse est anno 205. Apud Sextum Aur. Victorem ¹⁾ legimus „Alexander cum deseri se ab stipatoribus vidisset, matrem sibi causam fuisse mortis exclamans accurrenti percussori, obvoluto capite, cervices valide compressas praebuit anno vitae *vicesimo sexto*.”

Ex Herodiani auctoritate viginti septem annos natus fuit, „εις τεσσαρεςκαιδέκατον, inquit, γούν έλάσας τής βασιλείας έτος, άναιμωτι ήρξεν” et C. 2. „Ετών μέν ούν τριςκαιδέκα ούτως τήν βασιλείαν

cum Herodianus ne verbo quidem eius mentionem faciat. Lampr. ipse nescivit; legimus enim l. 58 „agentem eum cum paucis in Britannia, ut alii volunt, in Gallia, in vico cui Sicila nomen est occiderunt.” Vict. Caes. 24 „agentem casu cum paucis, vico Britanniae, cui vocabulum Sicila, trucidavere.” Euseb. Chron. „Alexander occiditur Moguntiaci.” Oros. VII. 18 „Militari tumultu apud Moguntiacum interfectus est.” Cassiod. „occiditur Moguntiaci.” Chron. Pasch. 268 D. „έσφάγη έν Μογοντιακά.” Syncellus 359 „άναιραΐται ούν τή Μαμμαία έν Μογοντιακά.”

¹⁾ Epit. 24.

ἀμέμπτως διωκῆσεν, τῷ δὲ τεσσαρεσκαίδεκάτῳ ἔτει
αἰφριδίως ἐκομίσθη" ¹⁾).

Duo postremi igitur conveniunt in numero
annorum quum ille annum 209, hic annum 208
natalem ponat.

¹⁾ Ci. pag. 8.

CAPUT V.

Iudicium de Severo Alexandro.

Quod hominibus tantum non omnibus accidit in civium luce viventibus, ut variae de iis ferantur sententiae, id nihil mirum evenisse quoque Severo Alexandro.

Iam antiquissimi, qui de illo egerunt, scriptores in rebus non solum gravioribus sed etiam in levioribus saepissime dissentiunt. Hinc efficias, verum ipsum aegre inveniri posse; nostrum igitur est comparando et ponderando quam proxime eo accedere. Quod ut consequamur, duo mihi distinguenda esse videntur: nempe Alexander vir privatus, idemque imperator.

Procul dubio inter pessimos tyrannos, qui ante et post eum rebus praefuerunt, facile virtute sua et vivendi ratione excelluit, adeo ut ob hanc ipsam causam dignus sit cui laudem tribuamus.

Inter ea, quae ei maxime vitio vertuntur, memoratur quod nimis matri subiectus, pecuniaeque cupidior fuerit ¹⁾. Negari non potest, eum pependisse ex materna voluntate, animi igitur constantia prorsus caruisse. Qua debilitate satis ostendit, fortem et strenuum imperatorem se numquam fieri potuisse.

Licet hac accusatione omnino absolvi nequeat, multae tamen sunt causae iudicium nostrum leniendi. Mammaea enim fuit femina maximae animi constantiae summaeque rerum gubernandarum peritiae et vero magnae ambitionis, quin, si aequum ferimus iudicium, eius virtutes longe anteponendae sunt vitiis. Huiusmodi mater non potuit non in adolescente, qui a puero quovis modo ab ipsa custodiebatur, cuique ipsa vivendi rationem monstrabat, cam habere et postea servare vim, quae nisi adhibitis omnibus animi viribus deleri non posset.

¹⁾ Iulianus in Caes. 836. Lampr. 63. Her. VI, 1. 9 passim. cf. Gibbon I.1. cuius vitae privatae descriptio parum congruit cum iudicio de rebus publicis.

Teste Lampridio ¹⁾, reprehenderunt etiam in Alexandro pecuniae cupiditatem. Et quoniam inter scriptores constat de matris avaritia, nihil profecto mirum esset, si filius quoque, qui ex matris praeceptis educatus fuit, huic indulsisset vitio ²⁾. Verum tamen nullum usquam huius rei indicium exstat, contra passim mentio fit eius donationum praemiorumque ex privata pecunia tributorum ³⁾.

Dicitur etiam suspiciosus fuisse, cui sententiae licet calculum adiiciamus, non tamen id magno pere ei vitio vertendum est si temporum, quibus vixit, habemus rationem; quum nemo tutus esset ab insidiis praetorianorum legionariorumque militum et ipse imperator in unoquoque homine siccarium suspicari posset. Quandoquidem porro tota eius pueritia dolis Heliogabali obnoxia fuit, suspicio vehementer eius animum commovit. Vitium in maius auctum esse cre-

¹⁾ I.L. 63. „Reprehensa sunt in Alexandro haec: Quod Syrus esse nolebat, quod aurum amabat, quod suspiciosissimus erat, quod vectigalia multa inveniebat, quod se Magnum Alexandrum videri volebat, quod nimis severus in milites erat, quod curas privatas agebat: quae omnia in Repub. instituerat.”

²⁾ Sic plura in eum transferuntur vitia, quae originem duxerunt a matre Mammaca.

³⁾ Lampr. 20. 25. 45. Ipse Alexander fuit sobrius.

dibile est, quia translatum magnam partem videtur a matre ad filium; constat enim Mammaeam fuisse suspiciosissimam, quod cum ex aliis rebus tum ex matrimonio filii et caede Chresti et Flaviani lucide apparuit.

Porro puduit Alexandrum originis Syriacae. Romanus videri voluit et vero e gente Metellorum, quod facile explicari potest, si qua ratione ad imperium pervenerit, animadvertimus. Imperator factus est tamquam Septimii Severi consanguineus, qua necessitudine tota eius potestas nitebatur.

Varia praeterea eius reprehenduntur instituta, imprimis quod dederit praefectis praetorii Senatoriam dignitatem ¹⁾, quod institutum iudice Tillemontio, gravis fuit causa imperii Romani interitus, quia senatores facti praefecti praetorii omnia, quae adhuc consulum aliorumque magistratuum fuissent, peragerent.

Lubentissime concedimus, praetorianorum potestatem iam fuisse maiorem, quam ut hac illave lege augenda esset atque ita eum aliquatenus imperii ruinae inserviisse; attamen ex tota praefectorum praetorii historia inde ab

¹⁾ Lampr. 20 „Alexander autem ideo senatores esse voluit praefectos praetorii, ne quis non senator de Romano senatore iudicaret” cf. Spart. Hadr. 8. Till. 1.1.

Seiano ad Ulpianum satis apparet, nullum imperatorem his resistere potuisse, adeo ut iam imperium Romanum in perniciem dilaberetur; quamobrem huic instituto Alexandri non tantam tribuimus vim, quantam laudatus tribuit imperatorum Romanorum historiae Scriptor.

Vitiis cemmemoratis et quantum possit perpendis, iam quae bona ab ipso instituta sunt proferamus. Quantum ex regiminis forma fieri potuit, singulis magistratibus et collegiis iura quaedam, quibus ante Caracallam et Heliogabalum usi erant, reddidit. Translationem enim titulorum, quae antea decreto senatus et lege in campo Martio acclamatione a militibus sancta fiebat, ipsosque titulos, qui variis temporibus in brevius longiusve tempus et tandem in vitam decernebantur, ipse sibi sumserat Heliogabalus; Alexandro vero imperante tituli rursus more solito decreti sunt ¹⁾. Porro simulatque imperio potitus est, iudices omnes ex turpissimo hominum genere removit, senatum equestremque ordinem purgavit ²⁾. In creandis magistratibus senatus et vocis civium rationem habuit, licet iam inde a saeculo tertio

¹⁾ Lampr. 1. 2. 8. Capit. in Maxim. et Balb. 8. Vopiscus in Prob. 72.

²⁾ Lampr. 14.

omnes ab imperatore legerentur ¹⁾. Neminem senatorem, nisi omnium, qui adessent, senatorum consilio adhibito, creavit et numquam libertinos in equestrem locum retulit, quia senatoria dignitas etiam coniuncta erat cum ordine equestri, quatenus hic senatorum seminarium haberetur ²⁾.

Hoc aliisque modis senatorium ordinem honestavit, vetuit enim, si foenerarentur, ne acciperent usuras, nisi quid muneris causa acciperent; „postea tamen, ut ait Lampridius, „iussit in semissis acciperent donum, tamen „sustulit munus ³⁾.”

Exemplo Domitiani ⁴⁾ quatuordecim urbis curatores ex consularibus viris instituit, quos una cum praefecto urbis urbanos res curare iussit, quique omnes aut saltem magnam partem adessent quum acta fierent ⁵⁾.

¹⁾ I. I. 19. 43. 45. 46. Vopisc. Tac. 9.

²⁾ Lampr. 18. Ex quaestura dignitate imperator eligebat et removebat senatores. Dio LIII. 17. LX. 29. LXVII. 13. LXX. 12. Tacit. Ann. IV. 42. IX. 25. Suet. Claud. 29. Vesp. 9. Domit. 8. Plin. Epp. X. 3. Lampr. Hel. 6. Al. Sev. 7.

³⁾ Lampr. 25. Auctoribus Ulpiano et Paulo, equites distinxit a senatoribus diverso clavo. I. I. 26. Dissuaserunt contra illi, ut omnibus officiis proprium vestium genus daret Alexander.

⁴⁾ Ioan. Lyd. I. 49. II. 19.

⁵⁾ Lampr. I. I. 32.

Si deinceps privatam Alexandri vivendi rationem indagamus, videmus eum revera fuisse principem bonis moribus conspicuum; educatus est a matre, quae praeceptis Graeco-Asiaticis huius temporis imbuta, etiamsi ipsa religionem Christianam non amplexa sit, saltem huius praecepta ad officium maternum spectantia imitata est. Maxima fuit huius educationis vis in Alexandro; matutinis enim horis in larario suo, in quo Apollonium, Christum, Abrahamum et Orpheum deos colebat, rem divinam faciebat, quin etiam Christo templum facere voluit eumque inter deos recipere, sed prohibitus est metu ne omnes fierent Christiani. Ipse tamen amplexus est unum ex gravissimis eorum praeceptis: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris; quam sententiam usque adeo dilexit ut et in Palatio et in publicis operibus praescribi iuberet ¹⁾.

Multis nominibus imperio Romano profuit, maxime vero abrogandis eunuchis, omnis regiminis formae furia ac pestilentia, quos non admisit nisi Augustae ministros, quorum etiam numerum definivit, addita lege, ut, si ad bonam

¹⁾ Lampr. 50. Eius imperium ab Herod. ἀναίματος vocatur, quod senatorum nullum occidisset. Universe condemnationes rarae fuerunt. vid. Lampr. 20.

frugem non rediissent, eosdem liceret occidi sine iudicis auctoritate ¹⁾).

Si de belli duce quaeritur, hoc nomine Alexander nulla prorsus laude dignus est et nequaquam rebus bellicis administrandis par fuit. Universa hac disputatione abunde paruit quas ille et in bello Persico et in Germania egerit partes, semper haesitans, nullo non modo sive precibus, sive auro pacem quaerens; apparuit etiam quis erga praetorianos fuerit quantusque ipsum Maximino adveniente metus invaserit.

Ut igitur paucis comprehendam, hoc iudicium de Severo Alexandro ferendum esse mihi videtur, eum fuisse virum laude dignissimum et probissimum, minime tamen bonum belli ducem.

Et sic quidem Severi Alexandri vitam exposuimus et quantum a nobis fieri potuit, illustravimus. Superest, ut rerum narrationi brevem addamus principum auctorum, qui huius Imperatoris res prodiderunt, censuram, utque de eorum fide historica paucis videamus.

¹⁾ Lampr. 23. Comparari potest cum Marco Aurelio, hoc vero discrimine quod hic nobilis Europaei ingenii, ille Asiatici fuerit exemplum. cf. Nieb. I. I. 336.

ANIMADVERSIONES

DE

Severi Alexandri vitae fontibus et scriptorum
fide historica.

Scriptor primarius, quem rebus Severi Alexandri exponendis praecipue secuti sumus, censendus est Herodianus, cuius igitur fidem historicam paullo accuratius indagare nobis proposuimus, praemissis reliquis fontibus, quatenus huius Imperatoris vitae melius intelligendae inserviant.

Imperatorum Romanorum historia, quae corpore scriptorum historiae Augustae continetur, memoriam fere ducentorum annorum comprehendit eamque inde ab Hadriano post mortem

Nervae ad initium regni Diocletiani. Praecipui imperatores, qui per hoc temporis spatium imperio praefuerunt, sunt Hadrianus, Antonini, Severus et Alexander. Huc tantum pertinet Severi Alexandri historiae auctor, vulgo nominatus Lampridius, cui Commodi, Antonini Diadumeni ¹⁾, Antonini Heliogabali et Severi Alexandri vitae, quarum duae posteriores Constantino Magno dicatae sunt, tribuuntur.

In primis saeculo Diocletiani et Constantini, quo Lampridius vixit, multi Suetonii scribendi rationem, quae constabat in describendis singulorum imperatorum vita et imagine, secuti sunt iidemque professi, se narrationes eorum, qui praecesserunt, in breviarium redegisse ²⁾.

Operae pretium igitur est inquirere, quos fontes Lampridius adierit, unde efficere liceat, utrum ei fides habenda sit necne. Haud obscure ex ipso Lampridio apparet, eum in unum rede-

¹⁾ Capitolinus scripsit vitam Macrini, verisimile autem est, cum etiam Macrini filii, Antonini Diadumeni, historiam memoriae tradidisse; vid. Ant. Diad. 6. 9. Cf. Dirksen, „die Scriptores Historiae Augustae.“ 11.

²⁾ Cf. iudicium de Script. hist. Aug. Vossii „de hist. Lat.“ II. 2. sqq. Fabric. bibl. lat. 3. 6. Heyne. Censura VI Script. hist. Aug. in eius opusc. Acad. VI. 52 sqq. Bähr, Gesch. der Röm. liter. §§ 225—229. Add. Dirksen l. l.

gisse excerpta complurium scriptorum, quamquam uno ex his primario fonte usus est. Memorat enim Eucolpium ¹⁾ Septimium, Gargilium Martialem ²⁾, Acholium Dexippum ³⁾, Marium Maximum, Catilium Severum Alexandri cognatum, Aelium Seranianum, Quinctilium Marcellum, alios, quorum fere nihil nisi nomina supersunt, et de quibus minime constat utrum Graece an Latine scripserint ⁴⁾. Primarius tamen fons fuit Marius Maximus, quem omnes historiae Augustae scriptores praesertim in vitis, Hadriano et Antoninis posterioribus, excerpserunt. Ammianus Marcellinus Marii scripta lubentissime legi saeculo quarto, nulla addita causa, testatur. Capitolinus eum refert in scriptores Latinos laudatque eius severitatem, curam et diligentiam. Unus Vopiscus iudicium suum de Mario Maximo limitibus quibus-

1) l.l. 16. „Referebat Eucolpius, quo ille familiarissimo usus est, illum si umquam furem iudicem vidisset, paratum habuisse digitum ut illi oculum erueret.”

2) l.l. 36 „et ne sit longum omnia inserere, quae Gargilius Martialis eius temporibus scriptor singulatim, persequutus est, omnia illi ad modum et rationem sunt praebita.”

3) l.l. 48.

4) Alexandri vita etiam descripta est ab Aurelio Philippo magistro et laudatore imperatoris.

dam circumscripsit, in illo vituperans quod homo fuerit verbosissimus qui et mythistoricis se voluminibus implicaverit ¹⁾.

Plerumque scriptorum mentionem parum definitam Lampridius facit ²⁾, et saepe reprehendit, quae postea ipse memorat ³⁾.

Ex his imperfectis iudiciis de fontibus nihil statui posse, quis non videt? Difficillimum igitur est Lampridii fidem historicam diiudicare. Quae autem praeterea sunt indicia, eius fidei minime favent.

Ubique Alexandrum summis laudibus extollit, multus est in describenda eius vita privata, verbo tantum res bellicas tangit. In tota descriptione nullus certus rerum aut temporis ordo invenitur. Quamobrem ad exemplum Xenophontis *Ἀλεξανδροπαίδειαν* quandam conscrip-
turus fuisse videtur ⁴⁾. Quam si amplectimur sententiam, explicatur sponte, cur ille Herodi-

¹⁾ Tale iudicium plerumque spectat rem parvi momenti.

²⁾ V. c. Annalium i. e. scriptorum, qui historiam complurium annorum narraverunt, I. I. 57. Alio loco legitur: *multi, diversi, plerique*. Hel. 34. Al. 57. 59. vel *aliqui, quidam, nonnulli*. 25. 37.

³⁾ Cf. Hel. 9. 18. 30 sqq.

⁴⁾ Cf. Nieb. I. I. 336.

anum aequalem scriptorem, adierit, non vero secutus sit.

Praeter Dionem Cassium Cocceianum, qui tantum scripsit ad annum ducentesimum vicesimum octavum, procul dubio gravissimus fons Herodianus fuit, de quo deinceps ex diversis testimoniis et indiciis iudicium ferre nobis proposuimus.

Herodianus Alexandrinus vixisse videtur inter annos centesimum septuagesimum et ducentesimum quadragesimum, uti inde conicitur quod vitas imperatorum a Commodo ad Gordianum conscripsit. Auctor est operis, cuius titulus „*Τῆς μετὰ Μάρκον βασιλείας ἱστορίαι*” in octo libros divisi, qui omnes fere integri ad nos pervenerunt. Libro quinto et imprimis libro sexto Severi Alexandri res gestas exponit.

Quomodo per illud temporis spatium, in quo describendo versatur, singuli imperatores sibi successerint sic enarrat, ut potissimum rerum bellicarum interdum externarum, nusquam fere domesticarum rationem habeat.

Nulla interni imperii status mentio fit et ne verbo quidem de diversis institutis privati agitur. Hanc ob causam Herodianum ad praetorianos milites pertinuisse suspicamur, vel saltem militasse in exercitu Romano; quae coniectura quodammodo convenit cum verbis,

quae libro primo leguntur, *γενόμενος ἐν βασιλικαῖς ἢ δημοσίαις ὑπηγεσίαις* ¹⁾).

Variorum temporum scriptores varium de Herodiani fide iudicium tulerunt. Photius in Biblioth. XCIX „ἐν πάσαις, inquit, ταῖς κατὰ τὴν ἱστορίαν ἀρεταῖς οὐ πολλῶν ἐστὶ δευτερός.”

I. Vignolius „de anno primo Severi Alexandri” ²⁾ eum scriptorem gravem et diligentem et Heliogabali atque Alexandri temporum testem fide dignum appellat.

Tillemont ³⁾ opus Herodiani pulcherrimum vocat, sed minus accuratum in rebus geographicis et chronologicis.

Ab his quantum differt Crevier ⁴⁾, qui his verbis suam de Herodiano sententiam tulit: „Il se montre, je ne sais par quel principe, l'ennemi déclaré de la gloire de ce jeune Empereur; il le représente partout comme timide comme lâche, comme un enfant, qui se laisse stupidement gouverner. Si cet écrivain marquait de l'élevation dans sa façon de penser, du jugement, un esprit de recherche et de critique,

¹⁾ Her. l.l.

²⁾ pag. 145.

³⁾ Histoire des Empereurs. l.l.

⁴⁾ l.l. 226.

son temoignage serait d'un grand poids. Mais je ne trouve chez lui d'autre merite, que celui de l'elegance, souvent un style de declamateur, et très peu d'exactitude dans les recits.

Multi recentiores, Gibbon, Niebuhr alii eum tamquam optimum fontem in Severi Alexandri vita diiudicanda secuti sunt ¹⁾.

Videamus, quomodo Herodianus ipse sibi historiam conscribere proposuerit, et quatenus huic proposito satisfecerit.

Operis initio historiae scribendae rationem tradit. Sunt, inquit, qui historiam conscripturi rerum ante actarum memoriam renovare cupiant, aeternam gloriam doctrinae curantes, ideoque, ipsa narrationis veritate parvi facta, tantum lectorum oblectationi serviant. Qua freti sperant fore ut, si quid fabulosi dixerint, ob narrationis suavitatem accurata veri inquisitione non refutetur. Sunt etiam, sic pergit, qui inimicitis vel odio in unum alterumve imperatorem moti aequum non ferant iudicium; alii, qui adulandi causa tenues parvique pretii res gestas pulchris non vero cum veritate con-

1) Gibbon ita iudicat: „a contemporain historian, who mentions the virtues of Alexander with respect, and his faults with candor” 245. vol. I.

gruentibus verbis ornent ¹⁾. Tandem iudicium de historiographo ita concludit: ego historiam non ab aliis ignotam ac testibus carentem accepi, sed eorum, qui legent, sensibus adhuc memoriaeque inhaerentem, summa diligentia collectam conscribendam suscepi, et quomodo singula acciderint, secundum tempora et imperia enarrabo ²⁾.

Huiusmodi propositum esse laude dignissimum, quis negat? Sed fuitne Herodiano facultas vera narrandi? Fuit, ut ipse indicat libri primi initio, testis oculatus complurium rerum memoratarum ³⁾, descripsit enim, quae post Marci obitum per totam vitam vidit et audivit et quorum etiam pars fuit, quippe qui imperialibus et publicis officiis functus sit.

De facultate igitur vera scribendi nullum dubium esse potest. Eademne voluntas fuit? Exploremus, quid indicia cum externa tum interna doceant.

Passim in eius opere loci occurrunt, unde

¹⁾ Haec verba spectare videntur aequales rerum scriptores, quibus Lampridius fortasse usus est.

²⁾ Her. l.l. 1 in fine „ὡς δ' ἕκαστα τούτων πέπρακται κατὰ χρόνους καὶ δυναστείας διηγήσομαι.“

³⁾ l.l. 2 „ἃ δὲ μετὰ τὴν Μάρκου τελευτὴν παρὰ πάντα τὸν ἔμμετον βίον εἶδον τε καὶ ἤκουσα.“

apparet, eum non temere sententiam suam protulisse, ut lib. II. 15 „Res Severi multi scriptores et poëtae copiosius opere concluderunt, „*ὑπόθεσιν ποιούμενοι πάσης τῆς πραγματείας τὸν Σεβηρον βίον*” mihi vero, ita pergit, proposui septuaginta annorum facta imperatorum conscribere, quae ipse novi „*οὐδέν οὔτε πρὸς χάριν εἰς ὕψος ἐξαιρούντι, ὥσπερ ἐποίησαν οἱ κατ' ἐκείνον γράψαντες, οὔτε παραλείποντι εἰ τι λόγου καὶ μνήμης ἄξιον.*” Item III. 7 „*ὥς δέ τινες τῶν τότε ἱστορησαν, οὐ πρὸς χάριν, ἀλλὰ πρὸς ἀλήθειαν λέγοντες.*” Alio loco „*ἢ δέ συσκευῆ τοιαύτη τις ἐλέγχετο ἕσεσθαι*”, porro „*ἀκριβές δὲ εἰπεῖν οὐ ῥάδιον*” ¹⁾. Tandem cum de una eademque re duae per vulgatae sunt opiniones, semper noster addit „*ἕτεροι δὲ φάσιν.*”

Si praeterea totam operis rationem attendimus, nullum fere ei discrimen intercedere videmus cum aliis scriptoribus in diiudicandis et describendis rebus gestis, nisi in Severi Alexandri vita ²⁾.

Exhibet, ut vidimus, ab ultimis Marci Aurelii annis tamquam introitum in Commodi vitam, in cuius Imperatoris moribus describendis non

1) VII. 1. Ubi Magnus quidam se Maximino opponit.

2) Herodianum etiam ab aliis differre in Maximino nonnulli perhibent, sed hac de re mox plura afferemus.

nisi maxima cautione et probe exploratis crudelitatis causis diligentissimus fuit ¹⁾. Aequè diligens in Pertinace, Iuliano, Severo aliis, ubique accuratissime rerum ordinem indagat.

Sponte igitur haec quaestio oritur, si ceteroquin accuratus et veri studiosus Herodianus fuit, cur alias in Alexandro diiudicando egerit partes.

Duo illi obiiciuntur, odium in Alexandrum, erga Maximinum favor ²⁾.

Si nobis ipsa Herodiani vita accurate innovisset, facile una alterave causa inveniri posset unde odii suspicio probaretur, qua suspicione suum obtrectatores iudicium superstruere possent; quandoquidem autem omnia, quae de eius vita novimus, paucissima sunt eaque dubio haud maiora, tota sententia nititur coniecturis, quae nihil probant.

Nobis proposuimus diversa indicia ex eius opere, quae reprehensioni favere videri possint, colligere atque in examen vocare. Sic, v. c., ubicumque loquitur de Syris, minime honorificam morum descriptionem prodit. Legimus enim II. 7 „*πύσει δὲ κούφον τὸ Σύρων ἔθνος ἐς καινοτο-*

¹⁾ I. 6. 7. 8. cet.

²⁾ Cf. Casaub. n. 2. et Irmisch ad Her. VI. 9.

μίαν τε τῶν καθεστηκότων ἐπιτήδειον" loco laudato
 „φιλέορτοι δὲ φύσει Σύροι. Π. 10 „ἐπὶ μὲν γὰρ τὸ
 χαριέντως καὶ μετὰ παιδιᾶς ἀποσκῶσαι ἐπιτήδειοι
 Σύροι φασὶ περὶ τὸν Νίγρον ἔσπουδακέναι.”

Etiamsi concederemus inde effici posse, Herodianum non studuisse Syris, eum igitur etiam Alexandrum, qui Syrus natione fuit, in odio habuisse, negari tamen nullo modo posset eum de Syris vera dixisse. Praeterea, collata eius sententia de urbe patria Alexandria „ὡς δὲ διηγγέλη τῷ τῶν Ἀλεξανδρέων πλήθει; φύσει μὲν ὄντι τὰς γνώμας κουφοτάτω, καὶ ἐπὶ τοῖς βραχυτάτοις ἕαστα κινουμένω, τότε δ' ἐξεπτόηντο, τὴν τοῦ βασιλέως σπουδὴν τε καὶ εὐνοίαν πυνθανόμενοι" ¹⁾; sponte apparet sententiam Herodiani de Syris minime urgendam esse, eamque nihil de eius fide historica detrahere.

Operae pretium erit, quale de Alexandro tulerit iudicium, ex variis locis colligere, ut inde statuamus, quo iure Herodiano fidem denegent.

Crevii de Herodiano verba: „il se montre je ne sais par quel principe l'ennemi déclaré de la gloire de ce jeune empereur" argumentum continent ex scriptoris silentio petitum.

¹⁾ IV. 8.

Nam Herodianus, memorata genealogia et educatione sub tutela aviae et matris, additisque quae Heliogabalo imperante Alexandrum spectarunt, statim transiit ad expeditionem Persicam, de cuius eventu minime honorifico iam antea egimus ¹⁾.

At vero, hoc omisso argumento, ipsum audiamus Herodianus, iudicium suum de Alexandro proferentem his verbis. „²⁾ Ηρχε γαρ αὐτοῦ καὶ ὑπερβαλλόντως ἢ μήτηρ, καὶ πᾶν τὸ κελεύόμενον ἐκεῖνος ἐποίει τοῦτο δ' ἂν τις μόνον ἔσχεν ἐγκαλέσαι αὐτῷ, ὅτι δὴ ὑπὸ περιττῆς πραότητος καὶ αἰδοῦς, πλείονος ἢ ἐχρῆν τῇ μητρὶ, ἐν οἷς ἀπηρέσκειτο ὁμῶς ἐπείθειτο” ³⁾. De Herodiani sententia placuit et populo et militibus et senatui forma imperii ex tyrannide contumeliosa ad formam gubernationis optimatum redacti; simulacra deorum, quae Heliogabalus loco suo moverat et transtulerat, in pristina ac propria templa remisit; eos porro, qui ab Heliogabalo ob commissa scelera ad honores et dignitates promoti fuerant, omnibus privavit bonis, iussis singulis ad priorem dignitatis conditionem redire. Munera etiam et ministeria et civilia forensia data sunt viris doctrina conspicuis legumque peri-

¹⁾ V. 3. VI. 1.

²⁾ VI. 1. sqq.

tissimis. Idem obtinuit in rebus militaribus ¹⁾.

Alio loco legimus, neminem e popularibus fuisse, qui sine lacrimis Alexandrum Romam relinquendum prosequeretur; amorem enim sui iniecerat populo quippe qui educatus apud ipsum moderate tot annos imperavisset ²⁾. Tandem optime Herodiani de Severo Alexandro iudicium in postremis libri sexti verbis prodit, imperavit annos quatuordecim, quod ad subiectos attinet sine querela et sine sanguine. A caedibus enim et crudelitate iniustisque factis alienus fuit, atque ad humanitatem et beneficentiam propensus.

Prorsus utique Alexandri principatus probaretur *εἰ μὴ διεβέβλητο αὐτῷ τὰ τῆς μητρὸς εἰς φιλαργυρίαν τε καὶ μικρολογίαν* ³⁾. Ubivis scriptor urget Alexandri *πραότητα*, quod non est cur miremur, si rationem eius historiae conscribendae reputamus; totus versatur in rebus bel-

1) Her. l.l.

2) IV. 4.

3) l.l. 9. Luculentissimum aequi iudicii exemplum invenitur. VI. 1. „Εἰς τεσσαρεσκαιδέκατον γοῦν ἑλάσας τῆς βασιλείας ἔτος, ἀναιμωτὶ ἤρξεν. οὐδέ τις εἰπεῖν ἔχει ὑπ' ἐκείνου φονευθέντα. καίτοι τινῶν μεγίσταις αἰτίαις ὑπο πεσόντων, ἔμως ἐφείσατο ὡς μὴ φονεῦσαι” et imprimis in iis quae sequuntur: *ὡ ἐχθρῶς τοῦτο ἄλλου βασιλέως τῶν καθ' ἡμᾶς ποιήσαντος ἢ παραφυλάξαντος, μετὰ τὴν Μαρκίου ἀρχήν.*

licis negligens fere omnia, quae ad vitam privatam pertinent. Iam ex hac disquisitione de Alexandro belli duce sponte apparet, Herodianum, si aequus iudex esse cupiebat, non aliter potuisse iudicare; non enim fuit peritus belli dux neque audax miles ¹⁾).

Unde Herodiani favor erga Maximinum colligatur non video, nisi statuimus, hocce argumentum nulla addita causa prolatum esse, ut odium in Alexandrum confirmaretur vel saltem verisimilitudine quadam sepiretur.

Audiamus Herodianum de Maximino iudicantem VII. 3. „Τοῖς οἰκείοις καὶ τοῖς ὑπηκόοις βαρύτερος ἐγεγόνει καὶ φοβερώτερος τὸ γὰρ ἦν ὄφελος Βαρβάρων ἀναιρουμένων πλειόνων γενομένων φόνων ἐν αὐτῇ τῇ τε Ῥώμῃ καὶ τοῖς ὑπηκόοις ἔθνεσιν· μόνον τέ τις κληθεὶς εἰς δικαστήριον ὑπὸ συνοφάντου, εὐθέως ἠττημένος ἀπῆει καὶ τῶν ὑπαρχόντων πάντων στερηθεὶς· ἐκάστης γοῦν ἡμέρας ἦν ἰδεῖν τοὺς ἐχθροὺς πλουσιωτάτους τῆς ἐπιούσης μεταιτούντας” ²⁾).

His omnibus collatis et perpensis, Herodianus, me iudice, in Severi Alexandri vita diiudicanda

¹⁾ Sunt etiam loci, in quibus hanc προχότητα excusare studet. VI. 2 „εἰρήνη ἐκ παίδων ἐντραφεῖς.” II. 4 ubi de Persica legatione agitur et ne verbo quidem imperatorem ob laesam legationem reprehendit.

²⁾ Cff. quae sequuntur VII. 3.

fide est dignissimus, nimium tamen tribuit rebus bellicis, quo factum est ut gravissimam eius vitae privatae partem maximam partem obscuraret.

Restat ut paucis agamus de iis, quae Herodiani fuerunt propria deque iure, quo nitatur sententia, eum aemulari studuisse Thucydidem.

Indicia, quae in hanc inducunt sententiam, paucissima sunt et valde imperfecta et obscura. Et si verum est, quod nemo dubitat, omnem comparationem claudicare, tum certe hoc quadrat in hanc comparationem. Utriusque propositum eodem redit; uterque enim descripturus fuit, quae ipsi vidissent vel saltem a testibus fide dignis accepissent. Utrum Herodianus aequae ac Thucydides continuo manus operi admo-verit necne, non constat. Credimus tamen, eum opus suum uno eodemque vitae tempore confecisse, ubique enim idem dicendi genus, eadem prudentia, eadem dramatica scribendi ratio, quod de Thucydide in dubium vocatur.

Conveniunt, utrumque res imprimis graviores vividis coloribus depingere ¹⁾, utrumque in arguta brevitate obscurum, raro episodica im-miscere.

¹⁾ Her. VIII, 2 de obsidione Acyleia.

Herodianus multas orationes operi suo inseruit ¹⁾, non autem confabulationes et narrationes, sed orationes accurate elaboratas, eoque spectantes ut principum mores, iudicia exponantur.

Animus eius liber fuit a superstitione ²⁾. Quando variae de hac illave re ante acta sententiae promulgatae sunt, omnes non vero addita sententia sua memorat ³⁾.

Cuiusque libri initio brevissime repetit, quae priori libro tractavit.

Iure tamen in Herodiano reprehenditur quod non solum res ad geographiam spectantes verum etiam diligentiam in exquirendis temporibus neglexerit, adeo ut saepissime, quamvis ex ordine imperatorum vitas descripsit, pugnantia inter se commemoraverit.

Sic igitur de Herodiano iudicamus, ut ipsum industria et sollertia omnes scriptores, qui de Severo Alexandro egerunt, superasse eique fidem historicam minime negandam esse putemus.

¹⁾ Cf. Borgerus „de orationibus in veterum historicorum libris.” Nullam praetermittit Herodianus occasionem inserendi orationes, semper addens *τοιαῦτα τινὰ εἰπόν*. Hanc vero scribendi rationem hodie merito improbamus.

²⁾ VIII. 3.

³⁾ IV. 8.

T H E S E S.

I.

Severus Alexander non ante annum 221 adoptatus et Caesar declaratus est.

II.

Perperam Lampridius de expeditione Persica iudicat.

III.

Maximinus conscius fuit caedis imperatoris Severi Alexandri.

IV.

Herodianus in diiudicanda Severi Alexandri vita publica fide dignus est.

V.

Herodiani verba V. 8 „*Ἀντωνῖνος μὲν οὖν, εἰς ἕκτον ἔτος ἐλάσας τῆς βασιλείας κατέστρεψεν*”
ita explicanda sunt, ut sexennium a Caracellae morte computetur.

VI.

Thucydidis verba I. 17

„*οἱ γὰρ ἐν Σικελίᾳ ἐπὶ πλεῖστον ἐχώρησαν δυνάμειος*”
recte novissimus editor Classenius uncis sepienda curavit.

VII.

Aristot. *περὶ ποιητικῆς* cap. I

καὶ γὰρ ἂν ἱατρικὸν ἢ μουσικὸν vere Heinsius coniecisse videtur:

καὶ γὰρ ἂν ἱατρικὸν ἢ φυσικόν.

VIII.

In Luciani „*περὶ τῶν ἐπὶ μισθῶ συνόντων*” § 5,
pro *ὕπερ τῆς ἀγαν ἐλευθερίας* legatur *ὕπερ τῆς ἀνελευθερίας.*

IX.

Facio cum Bentleio, in Terent. Andriae act. I.
sc. 5. vs. 7. legente, *is mutavit cet. pro id mutavit.*

X.

Recte comparantur Vergilius et Lucretius, poëtae didactici, his verbis: „Virgile est monté d'un degré plus haut que Lucrèce: le poème *Sur la nature* est un chef d'oeuvre; le poème *des Georgiques* est le chef d'oeuvre du genre.”

(Revue contemp. Nov. 1864. p. 81.)

XI.

Pervulgata de morte M. Attilii Reguli narratio, etsi in maius aucta, non omnino reicienda est.

XII.

Recte Bakh. v. d. Brink in versione operis Motlei „the rise of the dutch Republic” I. 113. not.: „Het is zeer belangrijk te weten wat een merkwaardig persoon bij deze of gene gelegenheid werkelijk gezegd of geschreven heeft, maar het is minder leerzaam te vernemen wat de geschiedschrijver meent, dat hij had behooren te zeggen of te schrijven.

XIII.

Numerum curiarum Romae umquam crevisse ad XXXV negamus.

XIV.

De iuris Italici explicatione quamquam optime meruit von Savigny, non tamen posterioribus Interpretibus nihil animadvertendum corrigendumque reliquit.

XV.

Velleius Paterculus non vilis adulationis accusandus est.

XVI.

Recte cl. Opzoomer „de weg der wetenschap” pag. 45 „in het materialisme kan zelfs de kunst niet tot hare ware hoogte komen.”

XVII.

Vondelii tragoedia, quae *Lucifer* inscribitur, non est allegoria.